



# **Elementa Christianae religionis.**

<https://hdl.handle.net/1874/456708>

94

4

ELEMENTA  
CHRISTIANÆ  
religionis.

ANDREA HYPERIO  
autore,

Hebr. 6.

Fundamentum iacentes, pœnitentiæ ab  
operibus mortuis, fidei in Deum, baptisma-  
tum, doctrinæ, ac manuum impositionis, &  
resurrectionis mortuorum, &  
Iudicij æterni.

Psalm. 111. Proverb. 1.

Timor Domini initium est scientiæ.

Marpurgi And. Colbius excude-  
bat, M. D. LXIII



Pueros decet ad Christum adduci, & ueram discere pietatem Marci 10. Matt. 19. Luc. 18.

Attulerunt ad Iesum pueros ut tangeret illos. Discipuli uero increpabant eos qui adducebant. Quum uidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis. Sinite pueros uenire ad me, ne prohibeatis illos: talium enim est regnum Dei. Amen dico uobis, quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud. Et cum cepisset illos in ulnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.

Capita doctrinae religionis Christianae,  
Hebr. 6.

Fundamentum iacentes Pœnitentiæ ab operibus mortuis, Fidei in Deum, Baptismatum, Doctrinae, ac Manuum impositionis, & Resurrectionis mortuorum, & Iudicij æterni.

In doctrina pietatis proficientes, Deum celebrare & iterum aliquos proferre studeant Marc. 21.

Cum uidissent principes sacerdotum & scribae mirabilia quæ Iesus fecerat, & pueros clamantes in templo & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dicit eis: Quid mihi? Nunquam legis

EPIST. NVNCVP. 2

legistis: Ex ore infantium & lactentium perfectio  
sua laudem? Psalm. 8.

Persistant omnes in doctrina sana semel accepta.  
2. Timoth. 3.

Persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi com-  
credita sunt, sciens à quo didiceris, & quod à pue-  
ro sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum  
reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo  
Iesu.

Discipuli gratos se præbeant doctoribus.  
Galat. 6.

Communicet autem qui catechizatur sermone  
si qui se catechizat in omnibus bonis.

ORNATISSIMIS VIRIS PRÆ-  
ceptoribus & Pædagogis Andrea Hy-  
perius, S.



Magnopere sanè opta-  
rim omnes qui dulcissi-  
mos liberos suos cupiunt  
rectè institui, probè sci-  
re, quantum fidei præce-  
ptoribus & pædagogis debeatur. Cre-  
do equidem, si id illi intelligerent,  
suam in hos declararent beneuolen-

EPISTOLA

tiam & gratias cumulatè agerent referrentq̃. Quanto rectius, quam nunc multi Christiani olim sensit gentilis rex Alexander, ingenuè confitens, se Aristoteli, cui puer formandus fuerat traditus, non minus quàm patri Philippo debere, cum ab hoc quidem viuendi, ab illo vero rectè viuendi accepisset initium. Sed credite mihi, ornatisissimi viri, dignitas & laus vestra crescet in immensum, atq̃ efficiet Deus, vt experiamini, non parentes modo, verum ipsos quoq̃ discipulos didactrum largiter rependentes, vbi cum liberarum disciplinarum præceptionibus illa quoq̃ assiduè inculcaueritis, quæ ad vitam, non dico vtcunq̃ honestè & Christianè, sed Christianè formandam, conducunt. Nam honestè viuendi præcepta etiam gentiles ludimagistri admodum diligenter suis tradidere auditoribus, quod partim poëtarum Hesiodi, Phocylidis, Pythagoræ carmina partim

Rationē  
piē &  
Christia-  
ne iuuen-  
di in scho-  
lis, Chri-  
stianorū  
tradi o-  
portet.

partim Philosophorum & oratorum  
 Platonis, Aristotelis, Isocratis, Cicero-  
 nis sententiæ & libelli parænetici lu-  
 culentè ostendunt. Atqui quantulum  
 id erit, obsecro, si in nostris scholis  
 Christiani nihilo exhibeamus melio-  
 ra, quàm olim in suis proposuerunt  
 phrontisterijs grammatici, poëtæ, rhe-  
 tores, philosophi gentiles? Turpissi-  
 mum profectò, Christianæ religionis  
 cultores diligentia ac fide in docendo,  
 vel in quavis alia officij parte à gentili-  
 bus superari. Meminisse igitur vos præ-  
 ceptores & pædagogos Christianos o-  
 portet omni tēpore, iccirco vos Chri-  
 stianorū civiū filijs Christianis p̄fici, ut  
 eam docendi rationē vsurpetis, qua di-  
 sciplinas liberales & quascunq; philoso-  
 phiæ partes dum explicatis, pariter ex  
 vobis quotidie isti audiant & addi-  
 scant præclara dogmata, exēpla, senten-  
 tias, exhortationes, quarū ductu præ-  
 sidioq; mores eorundem ac tota adeo

## EPISTOLA

vita decus quoddam antiquissimæ & laudatissimæ religionis Christianæ præ se ferant in omnibus. Enimvero Christianorum studia statim in actiones exire oportet. Quia vero quod hic à me proponitur, arduū ac difficile plebis quideri queat, nō gravabor de hoc instituto tradendæ pietatis Christianæ in scholis vel domi intra parietes, aliā quanto diffusius vobiscū ornatissimi viri agere, & quaecumq; consiliū meū impartire. Quamuis id ea lege faciā, ut non tam vobis ipsis quā quibuscumque alijs pietatis atq; doctrinæ spectatæ hominibus autor sim rationes magis salubres excogitandi & in lucem proferendi. Nam ab alijs emendari, corrigi & meliora fieri meā, non solum non agrè fero, verum etiam magno opere opto. Persuasum namq; habeo, ita præcipiente charitate, Deum Patrem coelestem quod non patefacit vni id benignè aperire alteri. Ante omnia

omnia perquam necessarium duco, ab unoquoque præceptore Christiano explicari discipulis Christianis religionis nostræ elementa, quæ in libris sacris novi testamenti à Christo & beatis Apostolis descripta & ad omnem posteritatem cõmendata cernimus. Vnus vero de eorundem elementorum numero atque ordine extat locus clarissimus epistolæ ad Hebræos cap. 6. In elementis, inquit, eloquiorum Dei, siue in sermone qui rudes in Christo inchoat, fundamentum iacitur, inquit, penitentia ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptismatum, doctrinae ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorum & iudicij æterni. Hæc septem capita Apostolorum ætate enarrari consueuisse omnibus qui Christo dabant nomen, extra controversiam est. Quare eadem, etiam hoc tempore nostris liberis in infantia baptizatis simplici & facili interpretatio-

Elementa pietatis ex libris sacris excerpuntur.

Quot capitulis elementa Christianæ pietatis comprehendantur.



EPISTOLA

ne ex Christi & Apostolorum sermo-  
 nibus deprompta iure optimo propo-  
 nentur, quandoquidem ex his com-  
 pendio haurire & imbibere cuncta po-  
 terunt quæ ad salutem sunt cognitu-  
 necessaria. Neque hic audiemus indul-  
 gentissimos parentes, vel alios huma-  
 næ sapientiæ inani opinione inflatos,  
 qui contendunt institutionem in re-  
 bus sacris non decere pueros, teneram  
 ætatulam causantes rerum caelestium  
 neuiquam esse capacem. Si esse & au-  
 dire volumus Christiani, æquissimum  
 planè est ipsius Christi verbis locum  
 demus. Is autem cum principes sacer-  
 dotum & scribæ Matth. 21. ideo indi-  
 gnarentur, quòd pueri acclamarent  
 ipsi in templo, Hosanna filio David:  
 interrogauit eos, num legissent in Psal.  
 Ex ore infantium & lactentium perfecisti  
 laudem? Psalm. 8. Sanè ubi Deus ipse  
 paruulorum mentes atq; ora ad suam  
 laudem informat, non est quod suspi-  
 cemur

*Etia pue-  
 ris expli-  
 cari eadē  
 clementia  
 debere.*

NUNCUPATORIA. 9

temur eos in rebus sacris nihil posse  
 assequi. Reprehendit etiam Christus  
 suos discipulos, qui arcere ab ipso pue-  
 ros & infantes uolebāt. Sinite, inquit,  
 pueros uenire ad me, & nolite uetare  
 eos: talium est enim regnū Dei. Luc.  
 18. Quibus paratū est à Deo regnum,  
 isdem merito & doctrinam ad illud  
 deducentem tradent pīj præceptores.  
 Timotheum uult Apostolus in his  
 quæ didicerat persistere, ac semp esse  
 memorem, à quo didicisset, & quòd à  
 puero sacras nosset literas. 2. Timot. 3.  
 Origenes in præfatione ad Canticum  
 Solomonis, Gregorius Nazanzenus  
 in Apologetico, & post utrunq; Hie-  
 ronymus in pœmio libri primi com-  
 mentariorum in Iezechielem testan-  
 tur, Iudæos pueris solere omnes libros  
 sacros, exceptis principijs Geneseos,  
 Cantico Solomonis & exordio ac fine  
 Iezechielis, euoluendos commendare.  
 Ac uidemus quotidie ut pueri no-

## EPISTOLA

tri multos uersus Poëtarum, nō minus  
 quam etiam parum pudicos, pleraque  
 item in fabellis alijsque narrationibus  
 breui tempore assequantur & reddant  
 cum gratia: quid nī igitur assuecant  
 ediscere ac recitare pauca de elemen-  
 tis Christianæ religionis? Et quo quæ  
 huc pertinent percipiant facilius, dis-  
 tingui possunt tempora, ut in singu-  
 los dies ad horæ quadrantem vel alter-  
 quædam explanentur, quas die Domi-  
 nico sequenti memoriter reperant.  
 Quo pacto in schola sacræ illius actio-  
 nis præbit utilissimum tyrocinium,  
 quam postea idoneo tempore, quan-  
 do Christiano ritui imponetur manus,  
 perfici oportebit publicè in Ecclesia.  
 Sic quoque secare in partes licet, ut semel  
 vnoquoque vertente anno in omnibus  
 classibus cōmuniter pertractetur. Itaque  
 prisca Ecclesiæ Christianæ laudatio  
 sumum fuit institutum pueros omnes à  
 teneris

NUNCUPATORIA. 6

teneris unguiculis percipiendæ doctrinæ religionis nostræ destinare. Origeni fundamentum iacenti in bonis literis pater Leonides libros sacros legendos obtrusit, in quibus ille celeriter mirandum in modum profecit. Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libr. 6. cap. 2. Autor quoque est Ruffinus libr. 10. cap. 14. puerum Athanasium & reliquos cum ipso colludentes, de omnibus catecheseos capitibus probe respondisse, cum ab Episcopo & presbyteris interrogarentur. Nec dubium quin iidem pueruli Notario cuiusdam atque Grammatico concrediti, progressus longemaiores fecerint. De Eusebio Emiseno, scriptum reliquit in ipsius uita Georgius Laodicenus, quod in ipsa pueritia ex libris sacris doctrinam perceperit Christianæ pietatis. Exemplis eiusmodi abundans ecclesiasticæ historiæ. Quis igitur nostrum, suos liberos initia doctrinæ cau-

EPISTOLA

*Quomo- do facile & cū fru- ctu expli- cari pos- sint.* Iestis illico posse cōplecti animo, diffi-  
 dat? Cæterum ut sacras hæc præle-  
 ctiones pueri & libenter audiant, &  
 paulatim multa in iisdem cum fructu  
 assequantur, magnum momentum ad-  
 feret uestra in modo explicandi indu-  
 stria ac diligentia. Esto igitur omnis  
 interpretatio elementorum pietatis fi-  
 delis, perspicua, facilis, & illis annis per  
 omnia conueniens. Erit autem eiusmo-  
 di: si primum uerba simpliciter pro  
 scholarum more construātur. Rerum  
 deinde explicationi admiscebūtur, sed  
 quanta fieri poterit breuitate, notis-  
 sima & apertissima quæque, tum dicta  
 siue pronunciata, tum facta siue histo-  
 riæ hinc inde congestæ ex propheta-  
 rum & Apostolorum uoluminib. Ex  
 re auditorum fuerit non nulla inter-  
 dum addi de negotijs familiaribus cre-  
 bro obuijs & captum puerilem non  
 excedentibus. Decalogi præceptum,  
 de non furando exponens præceptor,  
 commes

NVNCPATORIA. 7

commemorabit aliquid de temporis  
amissione in ineptis ludis, de furtis pue-  
rilibus; quomodo D. Augustinum ui-  
demus referre ac dolere, quòd paren-  
tum præceptorumq; contemptis mo-  
nitis, lusu pilæ temporis multum per-  
diderit, quòd pira abstulerit ex horto  
alieno. Confessionum libro 1. cap. 9. 10.  
& libr. 2. cap. 4. Scitè insuper accom-  
modabuntur ad institutū exempla &  
sententię, similitudines, proueria ex  
omnis generis bonis autoribus, qui in  
schola præleguntur, excerpta. Aenæi-  
dos 2. hæc leguntur Aenæę qui toties  
pius appellatur verba:

Panthus Otriades arcis Phæbię sacer-  
dos,

Sacra manu uictosq; Deos, paruinq;  
nepotem

Ipse trahit, cursuq; amens ad limina  
tendit.

Panthum narrat eduxisse Troia iam  
à Græcis incensa tenerū nepotē, dein-

EPISTOLA

de Palladiū cum Dijs pœnatib. Præceptor igitur primū & secundum Decalogi præceptū enucleans, adhibet peropportune hosce uersus, atque gentiliū deos demonstrat non esse deos, utpote qui uincantur & seipfos seruire haud possint, multo minus alios, sed sicut ab hominibus fiunt, ita egent ut ab hominibus custodiantur. Colligit hæc ex illis D. Augustinus de ciuitate Dei libr. 1. cap. 3. Rursus autem disserens præceptor de quinto legis mandato, uel de uniuscuiusque in suo uice genere officijs, eosdem uersus non iniuria reducet in memoriam, ad comprobandum, quid parentes filijs, quid uerū filiij parentibus præstare debeant. Possem autem eo pacto loco sex Cicerone, Terentio, Vergilio, Horatio ceterisq; quibus scholæ plurimum tribuūt, innumeros ad certa aptare Christianæ doctrinæ capita, sed breuitatis causa supersedeo. Nam apud Græcos

Cle

NUNCUPATORIA. 8

mens Alexandrinus in 8. libris Stromatum, Iustinus Martyr in sermone exhortatorio ad Gentiles & libro de Monarchia, tum huius discipulus Tatianus Assyrius in oratione contra Græcos, deinde contemporaneus Tatiani Theophilus Antiochenus in tribus libris contra Autolycum; apud Latinos Septimius Florens Tertullianus, in opere de corona militis, de pallio, in Apologetico, Lactantius firmianus Diuinarum institutionum lib 7. Augustinus passim in egregijs uoluminibus de Ciuitate Dei, Hieronymus in diuersis epistolis, sed illa potissimum ad Magnam oratorem Romanum, hanc rationem transferendi gentilium dicta ad res nostræ religionis, multo clarissime ostenderunt. Ac ne quis suspicetur hanc uiam explicandæ doctrinæ sacræ posse à quoquam improbari, nos acceptam eam ferimus Apostolo D. Paulo, qui in grauissimis suis concio-



EPISTOLA

nibus atq; scriptis, apud Athenienses  
 quidem uersus heroici clausulam usur-  
 pauit ex Arato: τὸ γὰρ ἐγένετο ἐσμίμω  
 & ex fortuita inscriptione aræ de ig-  
 noto Deo, materiam excerpfit carpen-  
 di superstitiones ac disputandi de Chri-  
 sto: epistolæ uero ad Corinthios Me-  
 nandri Comici in seruit senarium. φθί-  
 γουσι ἢ θη γησαὶ ὁμιλίαι κακάι. Actor. 17.  
 1. Corinth. 15. Porro calcar non medio-  
 crè subdetur pueris ad currendum a-

In bono-  
 rum auto-  
 rū enar-  
 ratione, si  
 qd de pie-  
 tate inci-  
 derit, cō-  
 monstran-  
 dum.

lacriter in stadio pietatis, quando ma-  
 gistri studio ac data opera adnotabūt  
 & memoria iubebunt retineri, quæ  
 cunq; inter pfitendum usquàm incide-  
 rint, utilia ad capitum quæ in elemen-  
 tis Christianæ religionis censentur il-  
 lustrationem. Creberrimè enim in ex-  
 cellentibus scriptoribus, Poëtis, Orato-  
 ribus, Historicis, uaria occurrunt, qui-  
 bus rectè comprobantur sana dogma-  
 ta, aut uirtutes prædicantur, aut per-  
 stringuntur uitia. Commoditates non  
 exi-

exiguas ex illis etiã scriptis decerpere  
 eruditi præceptores solent, quæ par-  
 tim propter confictas fabulas uel nar-  
 rationes parum pudicas, partim pro-  
 pter alias res, existimãtur sterilia imò  
 & noxia. Grauius dictum est à Basilio  
 Magno in sermone quodam ad ado-  
 lescentes, de utilitate capienda ex scri-  
 ptoribus gentilibus: Quemadmodum  
 apes neq; ad omnes flores sine discrimi-  
 ne accedunt, neq; etiam ad quos ad-  
 uolant totas auferre tentant, sed tan-  
 tum exugunt quantum ad mellis con-  
 ducit opificium: ita nos si sapimus,  
 non nisi lectissimos scriptores sume-  
 mus in manus, & ex his ipsis quod sin-  
 cerum & cum ueritate congruens, di-  
 ligenter colligemus, cætera transilie-  
 mus. Addit idem, se ab eximiæ litera-  
 turæ homine audisse, Homeri totam  
 Poësin, nihil esse nisi laudem uirtutis:  
 & ab eodem, quam plurima in Ho-  
 meri carminibus obseruata, quæ uir-

EPISTOLA

tutem summis efferrent laudibus. Ita  
 que in Vlyssè qui naufragio facto ena-  
 tauit ac nudus est seruatus, exhiberi ab  
 Homero elegantissimam imaginem,  
 qua omnes homines ad parandam uir-  
 tutem excitantur, quæ etiam in asper-  
 rimis difficultatibus atq; procellis ma-  
 net incolumis & uel sola potest nu-  
 dum reddere gratum omnibus. Eius  
 generis fabularum interpretationes  
 concinnatas ad uirtutù laudationem,  
 uel ad detestationem uitiorum suppe-  
 ditat multiplices Græcus scriptor Pa-  
 læphatus libro de non credendis fabu-  
 losis historijs, non nullas apud Lati-  
 nos in Mythologijs Fulgentius. Affir-  
 mat porro Basilius satis prolixè, pari-  
 cur debere cum facta, tum dicta illu-  
 stria adnotari & in auditorum in-  
 sculpi mentibus, cum enarrantur hi-  
 storiar. Alexander Magnus Darij si-  
 lias quarum forma uehementer pradi-  
 cabatur captiuas habuit, nullam autem  
 passus

passus est ad se deduci, timens ne qui-  
 uicisset uiros ipse aliquo modo à mu-  
 lieribus superare. Quo facto Basilius  
 sentit nos admoneri, quomodo qui  
 mulierem cum uoluptate uel aspexe-  
 rit, quamuis adulterium opere non  
 perficiat, culpa tamen nequaquam ua-  
 cet. Clinix item licuit per iusiuran-  
 dum mulctam euadere trium talento-  
 rum, sed exoluere maluit quàm iurare,  
 etiam cum rectè uti iureiurando po-  
 tuisset. Is mihi uidetur, inquit Basilius,  
 præceptum Christi tenuisse, quod iu-  
 reiurando nobis interdicit. Sed ope-  
 rapretium non est huic loco immore-  
 mur diutius, quando ex hæcenus di-  
 ctis constare satis superq̄ potest, quo-  
 modo, siue Poësin, siue scripta orato-  
 ria, siue historias, siue partem aliquam  
 philosophiæ explanare quis aggredia-  
 tur, decerpere omni tempore ex ijs  
 dem possit non pauca, ad claram & fa-  
 cilem exegefin elementorum Chri-

## EPISTOLA

Ipsi præceptores stianæ religionis idonea. His adificia<sup>2</sup>  
 pietate et mus oportet, instrumentum aptissi<sup>2</sup>  
 sanctimo mum efficacissimumque quo puerorum  
 ni prælu animis instillatur ueræ pietatis studiū,  
 ceant ca. esse ipsorum præceptorum gravita<sup>2</sup>  
 teris. tem & morum sanctimoniam, qua au<sup>2</sup>  
 ditoribus siue ad honestas siue ad tur<sup>2</sup>  
 pes actiones sequacibus, nunquam nõ  
 præluceant. Homerus Achillis præce<sup>2</sup>  
 ptorem Phænicem describit, ut elo<sup>2</sup>  
 quentia ita virtutè præstantissimum,  
 quiq; non tantum bene dicere, verum  
 etiam bene facere docuerit. Si Dioge<sup>2</sup>  
 ni Babylonio credimus, Alexander  
 puer quamuis generoso & excelso ani<sup>2</sup>  
 mo à præceptore Leonide hausit vitia  
 quæ robusto & potentissimo regi per<sup>2</sup>  
 petuo adhæserunt. In prolegomenis  
 ad Hermogenis Rhetoricen refertur,  
 iudices cum Tisiam discipulum calli<sup>2</sup>  
 dè disceptantem audirent cum præ<sup>2</sup>  
 ceptore sophista Corace, aliam non tu<sup>2</sup>  
 lisse sententiam, quam какоу ко́рака  
 какоу

καλὸν ὄνομα. Circunfertur & senarius à  
 Tharasio in secunda Synodo Nicena  
 platus: καλὸν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθη  
 ματα. Maximus Philosophus magiæ ac  
 superstitionibus gentiliū deditus, Julia  
 nū quamuis initio in Christianorū ma  
 nibus educatum, sua familiaritate atq̃  
 priuata institutione talem effecit, qua  
 lem eum postea Christianus orbis est  
 expertus. Tripartitæ historiæ libr. 6.  
 cap. 1. ex Socrate Constantinopolita  
 no. Itaq̃ vos ornatissimi præceptores  
 Christiani, pro vestra virili parte toti  
 in hoc eritis, vt non tantum piè fan  
 detis sentiatis, loquamini ac doceatis,  
 verum etiam quotidianæ vestræ actio  
 nes integræ, sinceræ, professioni Chri  
 stianæ respondentes, & ab omni deli  
 cto liberæ cōspiciantur, immò quoad  
 eius licet, ne suspicionē quidem crimi  
 nis quouis modo ingeretis. Turpissi  
 mum est eum cui aliqui conceduntur  
 liberaliter instituendi, bene docere &

## EPISTOLA

male vivere: atq; ad alias quidem res  
 inuitare ore, ad alias vero opere. Facta  
 semper magis afficiunt impelluntq;  
 quam dicta. Atq; ita est omnium pue-  
 rorum ingenium, turpitudinem &  
 quamlibet exigua prope latentia er-  
 rata præceptorum citius imitantur,  
 quam oculis omnium expositam hor-  
 nestatem. Cæterum quo ad edenda cor-  
 ram pueris egregia virtutum exempla  
 sitis omnitempore experrecti & inten-  
 gatis, vestra sanè interest, frequenter  
 repetere memoria grauissimum Chri-  
 sti dictum Matth. 18. Qui offenderit  
 vnū de pusillis istis qui in me credunt,  
 expedit ei vt suspendatur mola asinae  
 ria in collum eius ac demergatur in  
 profundum maris. Tanti est in teneras  
 mentes, quæ sunt veluti nouæ testæ  
 quocunq; visum fuerit liquore seu  
 odore imbuendæ, exempla bona vel  
 mala à præceptoribus ab initio trans-  
 fundi.

fundi. Restat postremo, ut probi in- Modestia  
 culpaticq; præceptores assidue non tan- & pieta-  
 tum commonefaciant, pueritiam sui tem Chri-  
 officij, verum etiam scueri sint Chri- stianã exi-  
 stiancæ modestiæ ac pietatis censores & gant præ-  
 exactores. Ad præscriptum doctrinæ ceptores  
 quæ in elementis religionis traditur, à discipu-  
 iubeantur discipuli vitam ac mores stu- lis.  
 diose cõponere. Bonis artibus ne quic- 2  
 quam sese addicunt, qui ita postulant 3  
 fieri docti, ut nihilo quàm ante eua- 4  
 dant meliores. Vobis igitur curæ sit, 5  
 auditores vestros efficere quàm opti- 6  
 mos & religiosissimos. Quo circa ut 7  
 quotidie mane & vesperi assistentibus 8  
 vobis in schola preces commu- 9  
 nes ad Deum faciant: ne item cibum 10  
 nisi præeunte oratione & gratiarum 11  
 actione subsequente capiant, provide- 12  
 bitis. Ad sacramm literarum, quæ so- 13  
 læ possunt 2. Tim. 3. eruditos ad salutẽ, 14  
 & perfectos ad omne opus bonũ red- 15  
 dere, amorem, lectionem quotidianam



EPISTOLA

4. nunquam intermitteretis incitare. Cum  
 ſta quæ diebus feſtis in ſacro cœtu per  
 aguntur, concinnuntur, præleguntur,  
 vel pro concione dicuntur ad popu  
 lum, præcipietis ſanctè ab illis obſerua  
 ri ac notari: interdum etiam recitari  
 quasdam ibi exceptas ſententias poſtu
5. labitis. Quin etiã memoriter illis die  
 bus reddent, quæ tota hebdomade in
6. elementis religionis didicere. Com  
 monefacietis porro omnes, ut quoties  
 eunque ſe ad peccatum, ſive ab alijs, ſi  
 ue à propria malicia ſolicitari ſenſe  
 rint, aſſueſcant mentis aciem ad Dei  
 præcepta conſeſtim refleçtere, & parti  
 tim promiſſionum atq; miſericordiæ  
 Dei, partim comminationũ ac Divini  
 iudicij conſideratione, improbas cogi  
 tationes, & Satanæ inſidias ppulſare,  
 abiçereq;. Si vllis, certè his quotidiana  
 nis exercitijs, ſupra quàm credi poteſt  
 in vera pietate proficere quiuis per  
 get. Vt autem cuiuſq; ingenium tra  
 ctandum

N V N C V P A T O R I A. 12

standum esse deprehenderit, si qui-  
 dem alius indolis egregia laude duci-  
 tur, alium oportet obiurgari acrius:  
 ita nunquam cessabit vestra diligen-  
 tia, hortari, instigare ad optima, & re-  
 prehendere ac damnare indecorè fa-  
 cta. Seueritas æquabiliter adiunctam  
 habens lenitatē, modò calcaris, modò  
 freni vice esse queat. Duabus rebus  
 præmijs & pænis contineri Rempub.  
 dixit Solon vnus è septem Græciæ sa-  
 pientib. Atqui in puerili Schola, quæ  
 umbra seu potius imago quædam Rei-  
 publ. est, locū habere & exerceri stre-  
 nuè oportet, quæ præmiorum ac sup-  
 pliciorum censentur nomine. Certissi-  
 mum autem benè collocatæ operæ ve-  
 stra & profectus discipulorum indi-  
 cium, vitæ innocentia & morum in il-  
 lis candor. Sed plurimum in eo posi-  
 tum est, si parentes non deprauent  
 perdantque liberos suos domi nimia in-  
 dulgentia. Audimus sane non nullos

Parentes  
 domi libe-  
 ros non  
 corrumpunt, sed  
 ad pietate-  
 tem inui-  
 tent.

## EPISTOLA

vociferantes, in scholis admirabiles ce-  
 ni corruptelas. Non omnino id nega-  
 tur vbi præsertim est auditorum fre-  
 quentia. Sed addendum: plures huc il-  
 las domo afferre, quàm hic addiscere;  
 ac subinde quantum pij præcepto-  
 res moliuntur in schola, tantum rursus  
 in domo diruere conuientes pa-  
 tres, blandulas matres, adulantes pedif-  
 sequas, ancillas, obsequentes ministros.  
 Atqui Christianos parentes in pri-  
 mis decet, quemadmodum Deus præ-  
 cipit Exod. 13. Deut. 6. 11. & Apostolus  
 Ephes. 6. filiis exponere Dei volunta-  
 tem, eosdemq; per eruditionem & cor-  
 reptionem Domini educare. Maxi-  
 me vero matrū interest, Hannam quæ  
 de institutione Samuelis anxie fuit so-  
 licita 1. Samuel. 1. Lo idem auiam, & Eu-  
 nicam matrem Timothei quarum fi-  
 dem celebrat Apostolus 2. Timoth. 1.  
 deniq; Monicam quæ difficili & longa  
 peregrinatione multisq; cum lachry-  
 mis,

NUNCUPATORIA. 14

mis, Confessionum libr. 3. cap. 12. lib. 6.  
 cap. 1. quærebat salutem filij Augusti-  
 ni, sedulo imitari. Quid olim fecisse exi-  
 stimamus patresfamilias Christianos,  
 cum scholæ nullæ paterent nisi genti-  
 lium, in quibus quasi non satis malo-  
 rum esset, spurca & pudenda de Dijs  
 gentilium enarrari commenta Poëta-  
 rum, pponerentur insuper, idem iussu  
 Imperatoris Maximini circiter annū  
 Domini 240 quæ in teneris mentibus  
 perpetuum Christi ac puræ religionis  
 odiū imprimerent, Acta videlicet que-  
 dam contra Christum apud Pilatum  
 flagitiose conficta, testante Eusebio li-  
 bro 9. cap. 5. & 7: aut tempore insecu-  
 to quo Iulianus Apostata circiter an-  
 num 360. quarumcunq; scholarum in-  
 gressu Christianorum liberis, quemad-  
 modum refertur à Theodoro to lib. 3.  
 cap. 8. interdictum lege lata voluit  
 Tunc procul dubio coacti sunt ipsi  
 parentes, tam quæ ad literas quàm quæ

## EPISTOLA

ad pietatem pertinent, dies noctesque magna cum molestia suis domi instillare. Ac Tertullianus in libro de idolatria, quod Christianorum pueri in scholamitterentur gentilium, significat propter necessitatem fuisse excusatum: verum eatenus admissa excusatio intelligitur, quo ad parentes tunc religionis principia domi accurate tradiderunt. Cæterum quando postea contigit aperiri scholas, in quibus preceptores Christiani præter disciplinas liberales palam explanare cœperunt doctrinam religionis, ut Alexandria ubi Origenes, Dionysius, Athenodorus, multiq; alij extitere clari professores, Cæsareæ ubi docuit teste Nicephoro lib. 5. cap. 37. Pamphilus presbyter, Antiochiæ quæ habuit in omni disciplinarum genere excellentem Malchionem, ut scriptum reliquit idem Nicephorus Callistus lib. 7. cap. 29. tunc primum, inquam, bene agi cœptum cum Christi

Christianis parentibus, quibus datum est curarum & sollicitudinis partem aliquam in præceptores reijcere. Sed enim nunc passim scholas habemus, Deo laus & gratia, in quibus pietas & bonæ artes pariter, incredibili diligentia, ac longè quam superiori memoria purius, succinctius, dilucidius à doctissimis viris explicantur. Quocirca animaduertunt parentes, sui esse officij saltem domi liberos ad pietatem religionisq; studium stimulare, atq; quotidianis exercitijs & exemplis intra priuatos parietes attrahere, impellerèq; denique tales emittere in scholas, qui ad reliquam pueritiam malorum morum scabiem nullam, importent aut diffundant. Nam ex puerorum vitiositate, non modo toti discipulorum agmini ingens creari periculum, verum etiam præceptoribus ipsis graues exhiberi molestias, sciunt omnes. Per placet verò Apostolo Galat. 6. vt omne

EPISTOLA

nes discipuli p̄ceptoribus, his p̄fere-  
 tim quae elementa monstrant verae pie-  
 tatis quos olim catechistas dixerunt,  
 meritam gratiam iustis honoribus &  
 memori mente persoluant. Quamob-  
 rem admonitos, immò rogatos per Je-  
 sum Christum volo parentes vniuer-  
 sos, vt quam chara & grata est ipsis  
 Christiani nominis honorifica appella-  
 tio, tam serio & quod suis liberis do-  
 mi, & quod p̄ceptoribus fideliter la-  
 borantibus in schola debent, p̄stare  
 satagant. Qui suorum cura non tangi-  
 tur, infideli quouis est deterior. 1. Tim.

4. Ad uos redeo ornatissimi p̄cepto-  
 res & p̄dagogi. Vos p̄ tot hominū  
 millibus ornauit Deus eximijs do-  
 nis, ut parentes esse animorum & doce-  
 re alios pietatem perinde atq; bonas  
 literas queatis. Cogitate igitur, & Deū  
 ipsum pro ijs quae in uos contulit be-  
 neficijs, & pios parentes, qui suos ma-  
 gna cum spe ad uos deducunt liberos,  
 illum

*Præcepto-  
 res Chri-  
 stianā pie-  
 tatem do-  
 cere con-  
 stanter  
 pergāt.*

illum quidem suo iure, hos uero summi  
 uos, id à uobis petere, ut omnem  
 adhibeatis diligentiam in explicatio-  
 ne elementorum pietatis: certo per-  
 suasum habentes, præmia non contem-  
 nenda uos, cum à Deo, tum à parentib.  
 denique & à discipulis accepturos. Pietati  
 tem asseuerat Apostolus promissiones  
 habere & presentis & futuræ uitæ 1. Timoth. 4. Quid igitur non expectent à  
 Deo & hominibus præstantissimi præ-  
 ceptores, qui alios quamplurimos, non  
 doctrina modo, uerum etiam exem-  
 plis ad pias actiones quotidie insti-  
 tuunt & exercent? Quare à sanctissis-  
 simo laudatissimoque proposito formans  
 da pueritiæ, nemo hominum sua uos  
 deterreat importunitate aut ingratitu-  
 dine, neque unquam scholasticis labori-  
 bus uel tædio uos frangi patiamini. E-  
 nim uero improbi homines, qui indu-  
 striam atque sedulitatem docentium pue-  
 ros uituperent irrideantque, semper aliis



EPISTOLA

qui sunt futuri. Non paucos inuenias  
 plane Epicuri de grege porcos, qui re-  
 ligionem aperte contemnunt abijci-  
 untq; & male collocari ac perire om-  
 ne tempus iudicant, quod rebus sacris  
 impenditur. Alij sapientes & modesti  
 affectant uideri, preceptores tamen no-  
 lunt nisi qui sola gentilium euoluant  
 scripta, & gentiliter uiuant ac sentiant.  
 Simul ac elementa religionis attingi a  
 quopiam conspicantur: mirabiliter rin-  
 guntur, fremunt, indignantur, & non  
 dicendis artibus facessunt ei nego-  
 tium. Alij deniq; alijs modis puerorū  
 in doctrina religionis profectum stu-  
 dent impedire aut certe tardare. At  
 uos quibus patefacta Diuinitus est Chri-  
 sti ueritas, quibus ἀγωνοθέτης Christus  
 præmia decernit in cælis nunquam pe-  
 ritura, contemnere decet omnes om-  
 nium machinationes, atq; insigni uir-  
 tute ac fortitudine, in docendo perge-  
 re, & ueterum heroum qui monstra  
 expu-

NUNCUPATORIA. 17

pugnarunt more, quascunque vincere  
 difficultates. Impius Iulianus cum  
 exercitu proficiscens contra Persas  
 minatus fuerat, se à reditu ad Christia-  
 norum internecionem tentaturum o-  
 mnia: quare sophista Libanius stoli-  
 de elatus & Iuliani optans ac sperans  
 victoriam, ad pium quemdam pæda-  
 gogum Antiochenum, nostram irri-  
 dens religionem ait: Quid credis nunc  
 agere fabri filium? Sic per contem-  
 ptionē notabat Christum. Verum Pæ-  
 dagogus spiritu Dei proculdubio af-  
 flatus: Creator omnium, inquit, quem  
 tu fabri filium irridens nominas, Iulia-  
 no cōcinnat loculum. Ac post paucos  
 dies aduectus est in loculo Iulianus  
 mortuus. Theodoretus libr. 3. cap. 23.  
 Agite porro & vos instructi, armati &  
 uigiles semper sitis, parati quæcunque  
 tela excipere, quæ & mox in hostes pia  
 quadam solertia retorqueatis: ad illa  
 autem oēs intendatis neruos, ad quæ

C

## EPISTOLA

vos Diuinitus esse vocatos, Spiritus  
 sanctus cum spiritu vestro testatur. E-  
 quidem pueritiæ docendæ munus, vo-  
 cationem interpretor longè dignissi-  
 mam, quando non potest reuera in il-  
 lo constanter & cum laude versari, nisi  
 si quem Deus ipse exciuerit, & colla-  
 tis amplissimis donis reddiderit renun-  
 ciaueritq; idoneum. In scholis quamli-  
 bet paruis, minutæ & tenuissimæ res  
 sparguntur à præceptoribus & colligi-  
 guntur à pueris, sed quarum usus ad  
 condendas ac fulciendas Ecclesias &  
 Respublicas plurimum est necessarius,  
 vt profectò sapienter sentire arbitretur,  
 qui scholas Ecclesiarum & Rerumpu-  
 blicarum appellant seminaria. Ac do-  
 cet ipse rerum euentus, non ferè alios  
 in Ecclesia seu Republ. bonos & sa-  
 pientes ciues apparere, quàm in quibus  
 dum pueri adhuc essent timor Dei,  
 hoc est, vera pietas eluxerit. A deo et-  
 nim verum est, timorem Domini, tam  
 in

NUNCUPATORIA. 18

In docentibus quàm in discantibus certissimum esse scientiæ argumentum, ut quos siue præceptores siue discipulos animaduertimus illius expertes, ne quaquam æstimemus gentilibus digniores. Quæ igitur ego de elementis Christianæ religionis ante annos aliquot, à pijs ac doctis quibusdam præceptoribus sæpius rogatus, ex literis sacris congeffi, ea vobis ornatisimè præceptoribus ac pædagogis, Christianæ religionis cultoribus & in discipulorū cœtu p̄conibus sincerissimè, nuncupo ac dedico: orans vos uenturam hæc ipsa elementa siue principia pietatis, quàm quod iam explanatione, eo accipiatis animo quo à me offeruntur. Quinetiam coram Deo ac Domino Iesu Christo qui breui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua & in regno suo, uos ego obtestor, Paulinis libenter utor uer-

EPISTOLA

bis, ut fidelem in tradenda pietatis doctrina  
nauetis operam, & quoad eius fieri dabitur,  
uestros auditores indices ad maiorem ueritatis  
cognitionem prouehatis. Valete.

Calendis Februarij,

1563.

ELE

# ELEMENTA Christianæ reli- gionis.

ANDREA HYPERIO  
AVTORE.

Salutem hominibus non con-  
tingere nisi in Ecclesia Dei per  
Iesum Christum.



**P**AEDAGOGVS. *Quam  
tu chare puer religionem am-  
plecteris?*

**P**VER. *Christianam. Deus  
nanque dignatus est me per E-  
uangelij doctrinam uocare, per  
baptismum inserere suæ Ecclesie, in qua quicun-  
que ipsum ritè colunt, salutem per Iesum Chri-  
stum consequuntur sempiternam.*

1. Pet. 1. 24  
Tit 3.  
Ioan. 20.  
Act. 2. 80

**P**AEDAG. *Vnde hæc persuasio de salute  
per Christum accipienda in Ecclesia, tuo infixæ  
hæret animos?*

## ELEMENTA CHRIST.

**Joan. 5.** **PVER.** Ex sacris literis, quarum summam  
**Gen. 1. 2.** esse apud nos oportet autoritatem, discimus.  
**Ephes. 1.** Deum candidisse mundum & in eo homines ex  
 quibus constitueret sibi dilectam Ecclesiam: prae-  
 scripsisse autem illico primis illis parentibus quom-  
 nam observari & coli pacto ab ipsis uellet, ut  
**Gen. 2. 3.** uita beata & sempiterna fruere-  
 ntur, quando partim serpentis, id est, diaboli suasionem,  
 partim suapte uoluntate legem Dei peruerunt,  
 ipsi se omnemque posteritatem in extremum addu-  
 xere discrimen. Atqui tantis malis quò rursus  
 eximerentur, statim pollicitus est Deus quendam  
 ex Adami posteris nasciturum, qui serpentis quid-  
 dem comminueret caput, homines uerò à peccato  
**Gen. 22.** morte ac damnatione liberaret. Hic autem est  
**Psal. 110.** Iesus Christus, de quo promissiones eadem Deus  
**132.** & crebrò ipse repetiuit, & seculis omnibus cele-  
 brari uoluit, quiq; tandem est exhibitus, & res  
 maximas nostri causa perfecit.

**1. Cor. 10** **PAEDAG.** Sentis igitur religionem Chris-  
**Ephes. 2.** tianam solam esse cum ueram, tum antiquissi-  
**Una ecclie** mam, & quotquot à mundi initio inde usque uitam  
**Et in qua** ac salutem sunt adepti, eos uni eidemque Ecclesia  
**credentes** cui & nos fuisse adscriptos, eandem quoque in  
**omnes ser-**  
**uantur.** Christum fidem professos?

**Joan 3.** **PVER.** Maxime. Nec inter priscos patres  
**Luc. 23.** qui Christum antecesserunt atque nos discrimen sua  
 sua

tui aliud potest, quàm quòd illi quidem credide- 1 Cor. 10  
 rint in uenturam, nos uerò in eum qui aduenit; Ephes. 2.  
 cetera omnia, præcipueq; quòd omnes ex æquo  
 unum Deum, uno spiritu & uero cultu prosequi-  
 mur, pares sumus. Hac de causa Christus ipse,  
 nunc explanatis uetum prædictionibus, nunc edi-  
 ctisq; & prodigijs, se illum esse ab initio pro-  
 missum & expectatum declarauit. Ioan. 5. 22  
Luc. 24.  
Act. 3. 4.  
10.  
 scripturas, inquit, ille sunt quæ testificantur de  
 me. Et Petrus sæpe inculcat, huic omnes Prophe-  
 tas testimonium ferre, quòd remissionem peccato-  
 rum accepturus sit per nomen eius, quisquis credi-  
 derit in eum.

**PAEDAG.** Die igitur, qua ratione homo-  
 per Christum ad ueram beatitudinem perue-  
 niat.

**PVER.** Id septem doctrinæ Christianæ ele-  
 mentis traditur, quæ in epistola ad Hebræos hoc  
 recensentur ordine. In sermone qui ruhes in Hbr. 6.  
 Christo inchoat, fundamentum iacitur, inquit,  
 penitentiae ab operibus mortuis, & fidei in  
 Deum, baptismatum, doctrinæ, ac manuum im-  
 positionis, & resurrectionis mortuorum, & iudi-  
 cij æterni.



ELEMENTA CHRIST.  
De pœnitentia ab operibus morte  
tuis. Cap. I.

PAEDAG. Quid uocas pœnitentiam?

PVER. Qua nostra agnoscimus crimina & eternam damnationem iisdem nos promeritos confitemur: unde mox ad poscendam à Deo ueniam, & uitam deinceps piè sanctèq; transsigentem adducimur.

PAEDAG. Cur dicitur pœnitentia ab operibus mortuis?

Rom. 5,

PVER. Opera mortua accipio ipsa peccata, quandoquidem mortem tam temporaneam quam eternam accersunt, dicente Apostolo: Per peccatum mors omnes homines inuasit.

PAEDAG. Ab eo igitur qui per Christum seruari expetit, dicitur primo loco requiri, ut peccatorum suorum ipsum pœniteat?

Luc. 24,

PVER. Sic, Christus nanque discipulis dedit in mandatis, ut pœnitentiam prædicarent ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Paruerunt igitur Apostoli, concionum suarum ubiq; facientes initium à pœnitentia.

Act. 26  
8. 32,

PAEDAG. Quo pacto fit, ut quis pœnitentia seriò ducatur?

PVER. Ad hanc rem perquam necessaria est legis Diuine cognitio.

PAEDAG.

PAEDAG. *Quanam est illa lex Diuina?* Roma. 2.

PVER. *Eam insculpsit quidem Deus in omnium mortalium animis : ne tamen sensim oblitteretur, aut ulli sese aliquando excusarent quasi non satis percepissent, placuit Deo eandem duabus tabulis descriptam saxeis per Mosén promulgare.* Lex Diuina duabus tabulis descripta.

PAEDAG. *A præceptorum numero* δεκάλογος ἀριθμὸς *Exod. 20. pellatur.*

PAEDAG. *Recita primum præceptum.*

PVER. *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis : non erūt tibi Dij alieni coram facie mea.* Leges rationabilis prioris.

PAEDAG. *Ediffere quomodo intelligi præceptum hoc debeat.*

PVER. *Commune est præceptis omnibus aliquid imperare, tum prohibere. Interdicit igitur nobis Deus, ne sibi creatori ullam præferamus aut æquemus creaturam, ne spem fiduciamque in illum nisi in se collocemus, ne in metu & periculis aliunde quam à se flagitemus opem, ne impias de se rebusque Diuinis mente comprehendamus opiniones, ne obseruationi cuiquam uel superstitioni demus operam. Mandat uero nobis, ut ipsum unum uerum Deum semper diligamus, memoremus & colamus, omnia ab ipso solo expectemus bona, denique actiones, studia, adeoque cogitationes nostras singulas ad ipsum dirigamus gloriam.*

ELEMENTA CHRIST.

PAEDAG. Quod secundo loco præceptum ponitur ?

PVER. Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem quæ est in celo desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles ea. Quia ego sum Dominus Deus tuus, Deus emulator, uisitans iniquitatē patrum in filios, in tertijs & quartis conuictum qui oderunt me. Et faciens misericordiam in millibus, his qui diligunt me & obseruant præcepta mea.

PAEDAG. Explana istud præceptum.

PVER. Deus suapte natura incorporeus & inuisibilis est, quare non patitur ut corporea & uisibili ulla similitudine exprimere ipsum meditemur. Multò minus fert, honorem qui ipsi soli debetur effectæ similitudini exhiberi. Illud uerò à nobis flagitat, ut ipsum unum uerum & æternum Deum; quemadmodum spiritus est, ita in spiritu & ueritate adoremus atq; inuocemus.

PAEDAG. Quid sibi uolunt tūc comminatio, tūc promissio subiectæ ?

PVER. Accipie eas decet ueluti ad singula præcepta adherentes, quibus homines uniuersi, siue boni, siue mali exacuuntur ad præstandum officium. Nullius tam effrata esse possit mens, qui minis aut blanditijs non flectatur & incitetur.

PAEDAG.

PAEDAG. Perge ad præceptum tertium.

PVER. Non sumes nomen Dei tui in vanum. Quoniam non insontem habebit Dominus eum qui nomen suum sumpserit frustra.

PAEDAG. A quibus uitijs Deus hoc præcepto nos auocat?

PVER. Sacrosanctum suum nomen non uult à quoquam sine iusta causa, uel potius graui necessitate usurpari: neque ubi subest falsitas aut aliter res se habet, quàm credi nobis uolumus: neque insuper ad maleficia, superstitiones, imprecationes, uota improvida, aut de rebus leuibus colloquia. Quin potius à nobis postulat Deus, ut quandocunq; nominis ipsius inciderit mentio, religione summa excipiamus & pura mente uocemq; ueneremur. Secus qui fecerit, haud impune feret.

PAEDAG. Audiamus & quartum præceptum.

PVER. Recordare diei sabbati ut sanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: septimo autem die sabbatum est Domini Dei tui, non facies ullum opus, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum atque peregrinus tuus, qui est in portis tuis. Quoniam sex diebus fecit Dominus caelum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & quieuit die septimo, & iccirco benedixit Domi-

## ELEMENTA CHRISTI.

nus diei sabbati, & sanctificauit eum.

**PAEDAG.** Quae hoc præcepto à nobis exiguntur?

**PVER.** Nostra interest, Deum omni quoad eius licet tempore inuocare, celebrare, gratias ei agere: statum uero diem septimum, cui apud nostros succedit appellatus Dominicus, reliquosque dies festos, uult Deum totos sacris destinari actionibus, atque in lectione & auditione scripturarum, psalmodum & hymnorum recitatione, rerum caelestium contemplatione ubiuis locorum consumi. Si quae praeterea ad amplificandam ueram religionem & in Deum pietatem, publicè aut priuatim conducunt, quo in genere sunt, ecclesiarum ministris & pauperibus opitulari, docere pietatis ignaros, inuisere & solari calamitosos ceteraque ea prouirili parte exequamur.

**PAEDAG.** Haftenus præcepta recensuisti tabulae prioris, quae nobis dilectionem Dei imperant: progredere ad præcepta tabulae posterioris, quae explanant officia charitatis erga homines. Dic igitur quomodo habeat præceptum oratione quintum.

**PVER.** Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui super terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

**PAEDAG.**

Leges tabulae posterioris.

PAEDAG. Quae res inculcat Deus hisce  
verbis?

PVER. Ut omnes cuiuscunq; ordinis subditi  
de superioribus honorifice sentiant & loquan-  
tur, fausta precentur omnia, honorem ac qua-  
cunq; debita officia, libenter & quidem propter Rom. 13.  
conscientiam tribuant. Superiores autem uicissim Ephel. 6.  
diligentem habeant subditorum rationem, nō hos Coloss. 3.  
indignis tractent modis, sed potius benè de ijs me-  
reri studeant. Christianos omnes mutua decet, pro  
cuiusque conditione, obseruantia.

PAEDAG. Quodnam est sextum præceptū?

PVER. Non occides.

PAEDAG. Pleniùs ediffere.

PVER. Non cade modo & sanguine inter-  
dicat nobis Deus, uerum etiam quacunque læden-  
di alium uoluntate ac significatione, hoc est, ira, Ephel. 4. 9  
odio, uindictæ cupiditate, rixis, asperitate uerbo-  
rum, imprecationibus, minis, omnibus denique ijs  
que ad animorum offensionem uel læsionem cor-  
porum tendunt. Iubemur autem modestiæ, man-  
suetudinis, facilitatis, patientiæ maximeq; in con- Rom. 12.  
donandis noxiis & iniuriarum obliuione exem-  
pla edere.

PAEDAG. Iam septimum præceptum recita-  
tes uolo.

PVER. Non moechaberis.

ELEMENTA CHRIST.

P A E D A G. Sunt ne & his uerbis plura comprehensa?

Matt. 5.

P V E R. Maximè. Damnatur namq; Deus uel cogitationes obscenas, quanto magis sermones, fabellas, poemata, picturas, uestitum mollem, ocium, comestationes, cantiones, saltationes, gestus, signa, & reliqua omnia, quibus solent mali homines in libidinem alij alios illicere. Ex quo sequitur, ab his qui placere Deo cupiunt, uerecundiam, temperantiam in cibo ac potu, cogitationes, dicta, factaq; pudicitiam testantia in primis requiri, quò tam corda quam corpora ipsorum spiritus sancti templa efficiantur.

1. Cor. 6.

P A E D A G. Age, octauum præceptum audiamus.

P V E R. Non furtum committes.

P A E D A G. Patet ne & istud latius?

P V E R. Quid ni? Declarat Deus se acerbe uindicaturum, si quis boni quippiam inuidet alteri, si scenus exercet, in contractibus fallit, rem alteri debitam non restituit, litium forensium calumnijs aut non dissimilibus machinationibus alienis ad se pertrahit facultates, deniq; si quouis modo alium damno afficit. Nam rationes inuadendi occupandiq; aliena, quis enumeret uniuersas? Rursus autem urget Deus, ut nostra contenti agamus sorte, honestis artibus uitæ comparemus necessarios

ria, beneficentiam quantam licet exerceamus in omnes, & ne quid detrimenti cuiquam nostrae culpa accadat, provideamus.

PAEDAG. Praeceptum nonum quod est?

PVER. Non feres aduersus proximum tuum falsum testimonium.

PAEDAG. Quanam est huius praeccepti sententia?

PVER. De nemine mortalium sinistrè suspicabimur aut loquimur, quin potius quae ab alijs sunt in bonam assuescimus partem accipere. Ab adulatione, delatione, calumnia, mendacio, simulatione, ac dissimulatione nõ secus ac pestibus abhorrebimus. In iudicijs, immò quibuscunq; negotijs, nullius odio metu aut gratia repudiabimus veritatis patrocinium.

PAEDAG. Restat decimum seu postremum praecceptum, id recita.

PVER. Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec quicquam aliud quod ipsius sit.

PAEDAG. Videtur sanè istud multò esse difficilimum.

PVER. Ita est ut dicis. Etenim non actiones modo, uerùm etiam tacitas cogitationes improbat praecceptum hoc coërcet. Siquidem Deus cuius



## ELEMENTA CHRIST.

2. Pars. 2.  
Lucæ 16.  
Actor. 1.

proprium est munus scrutari corda, quiq; falli nec uult nec potest, is hominem totum, cum animo, tum corpore habere cupit sibi addictum, nec officium ei nostrum probatur, nisi ex intimis animi profectum recessibus uiderit. Quocirca preceptum istud etiam ad singula antecedentia referri oportet. Cum enim dicitur, non occides, non mechaaberis, non furtum committes, par est intelligamus, fas non esse uel animi cogitatione aliquid eiuscemodi expetere.

Matth. 5.

**PAEDAG.** Satis tu quidem expedite omnia que ad legis spectant explicationem. Quomodo per legem uero legis consideratione adducitur homo ad penitentiam?

**PVER.** Vera perfectaq; penitentia consistit induobus. In uehementi dolore animi, qui ex metu Diuini iudicij, quod scimus in nos propter nostra peccata exercendum, nascitur, uocantq; contritionem seu mortificationem. Et in fide, qua a Deo nobis condonari illa per filium Iesum Christum petimus, quam fidem sequitur studium pie sancteque uiuendi, unde nominant etiam uiuificationem.

**PAEDAG.** Quomodo dolor ille per legem excitatur?

**Rom. 3. 7.** **PVER.** Verissime dixit Apostolus: per legem contingere agnitionem peccati. Duplicem uero legem

gem necesse est intueamur. Vnam quam Deus ad primos tulit parentes: uctans ne arboris scientie boni & mali gustarent fructum. Addita uero Genes. 2. fuit grauiſſima cōminatio: quādo cunq; secus fa-  
cerent, morituros. Cum igitur illi non obtempera-  
rint, statim irrogata est mortis pœna, & quidem Gen. 3.  
tanta acerbitate, ut in omnium nostrum, tam a- Rom. 5.  
nimos, quā n̄ corpora, fœda lues peccati & per- Psalm. 51.  
uersarum affectionum, quæq; hinc sequitur,  
mors, sit transfusa & propagata. Verum autem Peccatum  
est, quicquid hoc uitij sit, semel nobis in baptismo originis.  
per Christum condonari: attamen uires suas sic Rom. 7. 8.  
usque colligit, ut quam diu uiuimus tam diu pro Galat. 5.  
diuitatem ad peccandum, immò incredibile stu-  
dium perfringendi leges Dei in nobis sentiamus.  
Itaque prima illa lege, & illa comminatione, ex  
qua ceu fonte reliquæ minæ atq; pœnæ deriuantur,  
nos omnes ad unum insitæ ac perpetuo ad-  
herentis malitiæ rei citamur. Quæ cum ita sint,  
merito sanè uicem nostram uebementer dolemus  
& ingemimus.

P A E D A G. Alteram legem quam dicis?

P V E R. Decalogi iam expositam, quæ &  
ipsa comminationem acrem habet, secundo qui-  
dem annexam præcepto, ad singula uerò præcepta  
referendam: quæ nimirum denunciât Deus, se

## ELEMENTA CHRIST.

uindicem esse facinorum ac scelerum, & seuerissima  
 me, de omnibus qui ipsum contemnunt poen. & su-  
 mere. Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus, Deus  
 amator uisitans iniquitatem patrum in filijs, in  
 Peccata & tertijs & in quartis eorum qui odiunt me. Quod  
 crionum. siigitur per singula eundo praecepta nobiscum ipsi  
 Rom. 7. reputauerimus, quoniam & quam detestandis mo-  
 dis ea sint à nobis contempta ac uiolata, deinde  
 oculos conuerterimus ad poen. in comminatione  
 propositas, fieri profecto haud potest, quin par-  
 tim nostrorum grauitas & multitudo criminum,  
 partim Diuini iudicij seueritas terrorem nobis  
 iniiciat longè maximum, quo toti cohore scamus,  
 atq; supplicescogamur Dei implorantes miseri-  
 cordiam, exclamare: Si iniquitates obseruaeris  
 Psalm. 130 Domine, Domine quis consistet?

P A E D A G. Sed qui deducit lex etiam ad sci-  
 dem quae poenitentiae est pars altera?

Rom. 4. P V E R. Fides autore Apostolo nititur Dei  
 promissionibus, utpote quae hanc Deo tribuit glo-  
 riam, quòd quaecunque ipse pollicetur eadem uer-  
 lit ac possit prestare. Est autem in conspectu iusti-  
 gnis promissio legi adscripta. Verum quo tota res  
 fiat dilucidior, libet in memoriam reducere duas  
 promissiones, duabus de quibus dictum est com-  
 minationibus subiectas ac oppositas. Prior est cen-  
 lebris

lebris illa quam ad primos parentes statim à lap- Gen. 3.  
 su ipsorum Deus fecit, de semine mulieris, id est,  
 Christo nascituro per quem & conteri serpentis  
 caput, & salus restitui humano generi deberet.  
 Ex hac autem promissione decantata omnibus se-  
 culis, quemadmodum cæteras omnes, manare de-  
 fluere promissiones, iudicamus: ita ad exsusci-  
 tandam fidem in animis maximum illa momen-  
 tum affert.

P A E D A G. Quæ est altera promissio?

P V E R. Eam Diuinæ legi uidemus consu-  
 to additam, hisce uerbis: Ego sum Dominus  
 Deus tuus faciens misericordiam in nullibus, his  
 qui diligunt me & obseruant præcepta mea.  
 Quam non sic accipiemus, quasi posset quispiam  
 cuncta quæ lege iubentur perfectè exequi, atque  
 eo pacto promissam misericordiam suis promere-  
 ri obsequijs & operibus, sed potius ut autoritate  
 atque ductu tam eximia promissionis ad diligen-  
 tiam in præstandis officijs unusquisque excitetur.  
 Vbi porrò depræbenderimus nos per communem Act. 15.  
 imbecillitatem & fragilitatem esse perficiendæ le- Rom. 8.  
 gi impares atque in multis semper peccare, ne-  
 quaquam spem omnem abijcimus, sed cum hac  
 ipsa, tum prima & amplissima illa promissione  
 de seruatore Christo erecti animatiq; ad Deum

## ELEMENTA CHRIST.

**Roman. 3.** Patrem caelestem confugiemus, summa demissione atque fide petentes propter filium Iesum Christum promissum & exhibitum recipi in gratiam, peccata nobis remitti, & uitam concedi eternam. Etenim magna testimoniorum consensione in lege ac prophetis declaratur, referente Apostolo, homines uniuersos esse peccatores ac destitui gloria Dei, iustificari autem per illius gratiam, per redemptionem quae est in Iesu Christo, quem proposuit Deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipseus sanguine.

**P A E D A G.** Quid uero est quod de poenitentiae partibus uerba faciens adiecisti de pietatis & uiuendi studio?

**Ieremia 16** **P V E R.** Flagitat hoc uera poenitentia ratio, ut non modo desinat aliquis male agere, uerum etiam intendat animum ad pia honestaque facta. Id non obscure demonstrat seruatus ordo, quo in decalogo, priori quidem loco comminatio, posteriori uero promissio ponitur. Etenim illa proprie ad deterrendum a uitijs, haec ad incitandum ad uirtutis studium est accommodata. Quisquis insper aliquando sensit irae Diuinae iudiculis suam peti atque feriri conscientiam, is simul ac ueniam criminum consequitur, quam potest diligentissime cauere ne offendat iterum. Ad haec

est fidei natura, ut delitescere aut ociari minime possit, sed bona proferre opera semper enitatur. Gal. 5. Iac. 2. Hæc de penitentia eiusq; partibus.

De Fide in Deum. Cap. II.

P A E D A G. Dicendum nunc de Fide. Quid sibi uult, fides in deum?

P V E R. Non abs re autor epistolæ ad Hebræos ita loquitur. Siquidem inter Fidem de Deo, & fidem in Deum non parum est discriminis. Fides de Deo est qua profitemur, Deum esse, unum esse, eundemq; omnipotentem, rerum uniuersarum creatorem, iustum, clementem &c. Hæc fides in primo ad Deum aditu necessaria est, uti scriptum est: Qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, esse Deum, & esse remuneratorem quærentibus se. Verùm cum huiusmodi fides etiam in impijs, immò in demonibus, quos salutis constat esse expertes, locum habeat, perspicere qui uis potest, eam nullum ad salutem æternam adferre momentum.

Fides de Deo. Heb. 11. Iac. 2. Marc. 5. Lub. 8. Act. 19.

P A E D A G. An igitur fides in Deum id præ se fert?

P V E R. Fide in Deum statuimus, non modo esse Deum optimum, beneficentissimum, clemen-

Fides in Deum.

## ELEMENTA CHRIST.

tiffimum, uerum etiam uelle in nos quamuis iram  
 ipsius commeritos ac damnatione eterna dignos,  
 suam bonitatem ac misericordiam exercere, hoc  
 Rom. 4. est, uelle condonare peccata, & propter Christum  
 nostra causa mortuum ac resuscitatum, iustificare,  
 Gen. 22. sanctificare, conseruare, atq; omnis generis or-  
 Gal. 3. nare beneficijs. Hæc fides, ad Dei promissiones,  
 Rom. 4. quales permulta in libris sacris sparguntur tota  
 dirigitur, cunque persuasum habeat Deum quic-  
 quid promiserit efficere, ingentem parit in boni-  
 nis pij animo consolationem, nec dici potest quan-  
 toperè ea uegetet roboratq;. Sicut promde non ni-  
 Ro. 1. 3. 4. si in uerè pios cadit, ita ad iusticiam mirabiliter  
 imputatur.

**PAEDAG.** Quin igitur plenam edis fidei in  
 Deum confessionem?

Confessio **PVER.** Hæc ex prophetarū & Apostolorū  
 fidei in libris in tres partes breuissimè redacta est, et quod  
 Deum, omnibus Christianam amplexantibus religionem  
 sit communis, Symboli appellata nomine. Sic autem  
 tem habet:

1. Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.
2. Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto.

RELIGIONIS. 28 7

sancto, natus ex Maria uirgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis: inde uenturus est ut iudicet uiuos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam eternam. Amen.

3.

P A E D A G. Si iam aliquo modo singulas partes explanaueris, deprehendere nobis licebit, tum an quae dicis intelligas, tum an fides ad iusticiam & salutem necessaria in te existat. Quid igitur tibiuis parte prima quae disserit de Deo Patre, ac rerum omnium creatione?

P V E R. Equidem credo unum esse uerum & eternum Deum, siue unam Diuinam essentiam, in quibus tres distinguuntur personae. Ac pater qui deus ante secula genuit per omnia sibi equalem filium, per quem & uniuersa condidit, tam inuisibilia quam uisibilia quae caelo ac terra continentur. Nec satis est ei insignem hanc machinam se mel fabricasse, sed dignatur eandem sua prouidentia usque moderari, gubernare ac sustentare. Porro credo & persuasum habeo, eundem etiam

Ioann. 1.

10. 12. 14

Colos. 1.

Psal. 104

107.

Acto. 14

17.



## ELEMENTA CHRIST.

esse Deum meum, quem religione summa colere perpetuo debeam: quandoquidem ipse me creauit, suæ adiunxit Ecclesie & adoptauit in filium, sic deinde curam mei suscipit ut uelit, & liberaliter suppeditare cuncta uitæ necessaria, & actiones meas regere atque ad sui nominis conuersionem gloriam.

**P A E D A G.** Pergamus nunc ad secundam Symboli partem de Deo filio, ac negotio restitutionis humani generis per eundem confecto, de qua ea respondentem te audiamus.

**P V E R.** Hanc simul ac recito, mente apprehendo eum per quem confido peccata mihi remittenda & quæuis beneficia me percepturum.

- |   |   |
|---|---|
| <p>Matth. 1.<br/>Psalm. 2.<br/>Psal. 110.<br/>Hebr. 7.<br/>Deut. 18.<br/>Actor 7.<br/>Psalm 22.<br/>Roman 8.<br/>Ioann 1.<br/>Hebr. 2.<br/><br/>Ioan. 1. 14.<br/>Luc 1.</p> | <p>Iesus idem est quod seruator, unde credo &amp; mihi salutem æternam per eum paratam. Christus unum significat, quocirca Regis, Pontificis &amp; Prophetæ, qui soli ungi consueuerunt, dignitatem ipse distribuimus. Credo autem, quoniam uerus Rex est, uelle ipsum sapienter me regere ac ab iniuriis hostili tueri: quia pontifex est, ipsum pro me ad patrem intercedere: quia denique propheta est, uoluntatem patris fideliter nobis exposuisse. Nominatur porro filius, quoniam in una Diuina essentia est secunda persona à Deo patre distincta, uerus Deus de Deo uero genitus, per omnia patri secun-</p> |
|---|---|

secundum substantiam, dignitatem & potentiam equalis. Unicus dicitur, quoniam ipse quidem filius Dei est natura, nos uerò adoptione & gratia. Dominum nostrum illum predicamus, partim quia nos creauit & redemit, partim quo testemur nos uelle illius facere imperata. Tanto autem libentius ipsum talem profiteamur, quanto res maiores salutis nostrae causa perfecit.

Matth. 2.  
Rom. 8.

PAEDAG. Quenam e.e sint dicit.

PVER. Primò, dignatus est se nostri causa humiliare nostram assumens naturam, per omnia, si excipiamus peccatū, par nobis factus. Secundò, pro nostris peccatis expiandis maximos pertulit cruciatus, & mortem ignominiosissimam. Tertio, quod donaremur iustitia, à morte resurrexit. Quibus peractis pristinam recepit gloriam, quando & conscendit caelos, & sedet ad dexteram patris, unde etiam uenturus est ut iudicium det in uiuos ac mortuos. Efficit proinde humiliatio illa, ut Christum nobis remittere peccata atque donare iusticiam uelle: gloria autem ista, ut etiam possedeamus. Itaque hac confessione fides reuerentur & augetur: fide uero languentem animum nunquam non erigimus ac sustentamus.

Ioan. 14  
Heb. 2. 14.

Rom. 4.

PAEDAG. Ad tertiam Symboli partem de Deo Spiritu Sancto, simulq; de Ecclesiis & benefi-

## ELEMENTA CHRIST.

eius quæ Deus in ipsam contulit, progreditor.

**Joan. 15.** **P**VER. Spiritum sanctum esse tertiam personam in una Divina essentia, ex patre filioque procedentem, cætera utrique parem credo. Per hunc accendi animos ad studium cognoscendi veri, rectam intelligentiam aliaque dona conferri, in fide de Dei misericordia confirmari, stimulari ad omnis generis sanctas actiones, nostram sublevari infirmitatem, consolatione erigi percussos, denique hoc tanquam arrabone obsignari in nobis sicut futura hereditatis et bonorum cælestium. Credo etiam semper fuisse, et fore Ecclesiam, id est, hominum electorum et Deum ritè invocantium societatem. Cuius caput Christus cum sanctus sit, illam quoque sanctam esse minime dubito. Catholicam ad hanc confiteor, ut cuius omnium temporum atque locorum credentes accenseamur. His porro omnibus credentibus frui datur illis bonis spiritualibus, quæ dilectæ Ecclesiæ Deus ostendit et concessit: quam ob rem persuasum habeo in eadem Ecclesia etiam sanctorum esse communionem. Præstantissimum vero bonum quod in ea participari piscuntur, est remissio peccatorum, quam et mihi in Ecclesia Dei habenti locum per fidem in Iesum Christum obtinere certo credo.

**P A E D A G.** Duo sunt capita in Symbolo reliqua,

liqua, alterum de resurrectione mortuorum, alterum de uita aeterna: sed de his postea seorsum erit dicendum. Itaque ad baptismum transeamus.

## De Baptismate. Cap. III.

PAEDAG. Quid est Baptisma?

PVER. Est sacra actio siue ceremonia à Christo instituta, qua homo in nomine patris & filij & spiritus sancti aqua abluatur, simulq; bonorum interuorum ac spiritualium fit particeps, de uita insuper Christiane exigenda admonetur. Sic autem habet Christi mandatum: *Euntes docete* Marc. ult.  
omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.

PAEDAG. Quenam sunt illa bona interna & spiritualia quae homo in baptismo consequitur?

PVER. Primo, per baptismum damus Christo autori ipsius baptismi nomen, adeoq; Dominum Gal. 3.  
Iesum Christum induimus, ut nos in ipso, & ipse Rom. 12.  
in nobis sit. Secundo, Ecclesiae Dei adiungimur, at 1. Cor. 12.  
que unius eiusdemq; corporis efficimur membra,  
quo & nobis bonorum spiritualium communitum omnibus sanctis in illa contingat.

PAEDAG. Coniungi Christo & in societate.

## ELEMENTA CHRIST.

tem credentium recipi, non sunt, mihi crede, exigua beneficia. Sed sunt ne etiam alia baptismi effecta?

**P V E R.** Tertiò, quemadmodum olim circumcisis, ita nunc baptismus novi & inuiolabilis foederis inter Deum & nos existit signum. Cuius foederis capita sunt hæc: Nos quidem renunciamus diabolo omnibusque eius suasionibus & consilijs, ac profiteamur nos in Deum credere, ipsius solum agnoscere & colere uelle: Deus uero committatur se uelle nos recipere propter Christum in gratiam, remittere peccata, cunctaque bona promissa exhibere. Fiunt hæc sanctissima pacta utrinque rata, cum baptismus homini fidem profitentem per ministrum mandato Dei impenditur.

Colos. 3.

Ephes. 2.

Col. 2.

Rom. 6.

Act. 8.

**P A E D A G.** Utinam huius foederis recordationem perpetuo in animo infixam circumferamus. Non dubium quin si id fieret, illa mirabiles subinde in nobis accenderet fidei & charitatis in Deum igniculos, quorum fulgores ac radij etiam longe lateque conspicerentur.

**P V E R.** Sic omnino est, Etenim scire nos oportet quarto loco Deum ratione eius foederis spiritualia bona illico conferre credentibus. In baptismo namque condonantur quaecunque antea acta crimina

crimina animusq; hominis prorsus purgatur & sanctificatur, ut nimirum externo signo res interna planè respondeat, hoc est, quemadmodum aqua eluuntur sordes corporis, ita sacer baptismus abstergat deletq; peccata ex animis. Act. 2. 1. Cor. 6. Ephes. 6.

PAEDAG. Quid autem à nobis uicissim praestari decet?

PVER. Nos, quod quinto loco obseruari decet, cum foederis initi, tum acceptorum beneficio, rum causa, & abhorrere debemus deinceps ab omni crimine, & ad nouam sanctanq; uitam studiosè initi. Atque illius quidem nos commonefacit in baptismo ipsa immersio in aquam, huius uero e ductio ex aquis. Quo autem ad utrunque excitamur diligentius, proponitur in baptismo ipsius Christi exemplum pro peccatis nostris mortui, proq; iustitia nostra reuiuiscens. Rom. 6. Col. 3. Rom. 4. 6.

PAEDAG. Saluberrima sunt quae dicit. Verum quis ignorat uitam nouam & inculpata transigere, non esse nostrarum uirium? Rom. 7. 8.

PVER. Rectè. Ideoq; sexto addendum, credentes in baptismo etiam accipere spiritum sanctum, qui quod uiribus nostris deest, affatim supplet, dum occultè mouet animos impellitq; ad uitae emendationem, adiuuat insuper ut benè agere Rom. 8.

## ELEMENTA CHRIST.

*¶* uelimus *¶* possimus. Siquidem non ex aqua tantum, uerum etiam ex spiritu reuouationis auctore homines renasci oportet.

**PAEDAG.** Crebro igitur apud animum expendere nos decet, quam simus felices, in quos clementissimus Deus tanta beneficia in baptismo contulerit.

**PVER.** Equidem quoad uixero maximam & gratiam Deo patri caelesti pro illis gratias, ipsum colam *¶* celebrabo. Quem etiam per filium suum Iesum Christum oro, mihi det ita uitam omnem componere, quemadmodum ipsa baptismi actio postulat, hoc est, ut possim exemplo Christi renuaciare ac mori peccatis, iustitiae uero uiuere.

**PAEDAG.** Cedo, quid sibi uult autor epistole ad Hebraeos, quando non baptismata expressit? Licet ne sepius baptizaretur?

**PVER.** Nihil minus, sed notat, quomodo diuersis modis homines baptismum suscipiant.

**PAEDAG.** Operae praetium est eos modos breuiter ac distincte explanes.

**PVER.** Primo praecipitur à Christo Domino *¶* commendatur, est praeterea in usu in Ecclesia uniuersa, baptismus sive lauacrum aquae. Dicere autem

autem possumus sola baptizari aqua omnes im- **Act. 8.**  
pios & hypocritas, quibus, quoniam poenitentiam **Ephel. 56**  
ac fidem mentiuntur, hic baptismus solus nullam **Tit. 3.**  
pari spiritualem utilitatem.

PAEDA G. Prædicatur ne & alius baptismi  
modus?

PVER. Immo. Nam seorsum etiam considerari **Act. 16**  
oportet baptismum spiritus, affirmante Christo: **Marc. 16**  
Ioannes quidem baptizavit aqua, uos uero bap-  
tizabimini spiritu sancto post dies hosce non mul-  
tos. Baptizantur ergo hac ratione homines pi  
poenitentiam ac fidem serio professi, & mandatum  
atque promissiones Dei de baptismo plurimi fa- **Marc. 164**  
cientes, quam ob rem isdem etiam baptismus a-  
que oppido salutaris existit.

PAEDA G. Ostende tertiam eandemq; po-  
ssibilem baptismi formam.

PVER. Baptizatur qdam igne siue sanguine. **Marc. 160.**  
Christus: ad filios Zebedæi de poculo & baptismo  
mortis sue uerba faciens. Potestis bibere poculum  
quod ego bibo, & baptizate quo ego baptizor  
baptizari? Et in preceatione antequam ad sup-  
plicium traheretur: Pater si fieri potest, transeat à  
me calix iste. Rursus, ignem ueni missurus in ter-  
ram, & quid uolo si iam accensus est? Sed bap-



## ELEMENTA CHRIST.

Imo habeo baptizari, & quomodo coartor doctus perficiatur? Putatis quod pacem uenerim in terram? Non dico uobis, immo separationem. Quo loco, igne atque baptismo significari persecutionum fluctus & procellas ipse orationis contextus satis arguit. Proinde igne siue sanguine suo tinguntur, quibus ob hostium persequentium scuitiam aqua baptizari haud licet: quia tamen magna animi constantia, Christum confitentur eaque confessionem suo obsignare sanguine & morte haud formidant, Deo sunt iuxta chari acceptique, ac si aqua baptizati essent. Nullus uero baptismus, siue aqua, siue sanguine suo quisquam exterius perfundatur, efficax est absque spiritu sancto, à quo uno uis omnis interna atque effecta spiritalia proueniunt.

**PAEDAG.** Quorsum opus est huiusmodi tradi distinctionem?

**PVER.** Verè pij omnibus temporibus uersantur inter religionis hostes. Quod si igitur aliquos illorum ab his, quod olim sanè fiebat frequentissime, ante susceptum aqua baptismum, rapi ad supplicium contingeret, certum nihilominus haberemus, per poenitentiam atque fidem saluos fore. Retius deinde omnes hinc intelligunt, quomodo non nisi spiritus sancti uirtute, effecta baptismi obliuiscantur.

neantur. Vnde etiam admonentur uniuersi, quo  
de Spiritu sancti baptismo in primis sint solliciti.

### De doctrina. Cap. IIII.

**P A E D A G.** Quid causa est cur ad bap-  
tismum proximè attexitur doctrina?

**P V E R.** Eos qui per Christum salui esse cu-  
piunt, primo loco duci operæ precium est pœni-  
tentia, & diabolo ac utijs omnibus semel nunc  
cium remittere: proximum est fidem in Deum  
confiteantur: peractis hisce impenditur bap-  
tismus: exigitur porrò à baptizatis noua & mul-  
tò quàm ante purior uita. Reliquum igitur nunc  
est ut piè ac Christianè uiuendi norma quæ hoc lo-  
co doctrinæ nomine intelligitur, paucis explicè-  
tur. Sic autem Christus eos qui baptizati fuerint  
doctrina de uita Christiana protinus imbui iubet  
dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes  
eos in nomine patris & filii & spiritus sancti, do-  
centes eos seruare omnia quæ mandauit uobis.

Matt. 28.  
Hierony-  
mus in com-  
mentariis  
in Matth.

**P A E D A G.** Quenam igitur ab homine ba-  
ptizato prestari bona opera debent, ut secundum  
Christi decreta uitam instituere agnoscat?

**P V E R.** In tres distingui ordines per aptè cun-  
cta possunt. Primus comprehendit opera dile-

Triplex  
bonorum  
operum  
ordo.

## ELEMENTA CHRIST.

tionis mandata decalogo. In secundo collocantur officia, uocationem, id est, uitæ genus in qua nunquamquæ; uersari Deus uoluerit decentia. Tertius ordo proponit certa exercitia pietatis Christianorum propria.

Opera di. **PAEDAG.** An ergo præcepisse Christum ut lectionis. Christiani uniuersi in opera dilectionis assidue incumbant?

**IOHN. 13.** **PVER.** Sic ipse loquitur: Præceptum nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo, sicut dilexi uos, ut et uos diligatis uos mutuo. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam.

**PAEDAG.** Ex decalogo ne, quænam sint opera dilectionis addiscimus?

**Matt. 22.** **PVER.** Christus in duas illam partes resoluens, nihil eo nisi dilectionem præcipi declarauit. Diliges Dominum Deum tuum, inquit, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum perinde atque te ipsum. In his duobus mandatis tota lex et prophetæ pendent. Quam legis epitomen respiciens Apostolus colligit, dilectionem legem consummari, et finem legis esse charitatem ex

**Rom. 13.**  
**1. Tim. 1.**

ex puro corde & conscientia bona & fide non simulata. Ex quo iam patet, legem non illis tantum perutilem esse, qui nondum sunt per baptismum sanctificati, quando quidem per eam debent, ut supra dictum est, adduci ad poenitentiam, uerum etiam baptizatis atque iustificatis. Etenim horum cum intersit promptam erga Deum testari obedientiam, & fidei iusticięq; fructus per opera charitatis proferre: certę ex ipsa lege discunt, quęnam sint opera dilectionis Deo accepta: deinde quamuis precipuę ipsius spiritus sancti quem in sacro regenerationis semel acceperunt ductu impulsuq; non parum tamen etiam legis admonitione, ad bonas actiones excitantur.

Legis duplex usus

Galat. 6

Rom. 8.

Tit. 3.

**PARADAG.** Hęc de legis seu decalogi, quem semel totum percurrimus usu in presenti sufficiunt. Quę porro secundo loco intelligis bona opera ab unoquoque pro uita sue genere exiguntur.

Opera operationis.

**PER.** Duplex in sacris literis commendatur uocatio. Altera omnibus ijs communis, quos Deus per predicationem Euangelij sue adiungere Ecclesie, atque salutis eterne mysterijs imperari dignatur. Quo pacto sepius in scripturis dicuntur credentes uocati per Euangelium ad Christum, ad fidem, ad lucem, ad salutem &c. Altera est qua quis certum uitę genus Deo neutro

2. Thes. 2.

1. Petr. 2.

## ELEMENTA CHRIST.

1. Cor. 7. quam improbatum amplectitur. In quam sententiam Apostolus: Unusquisque, inquit, ut ipsi partitusest Deus, unusquisque ut illum uocauit Dominus, ita ambulet: & unusquisque in ea uocatione in qua uocatus fuit, maneat apud Deum. Vult nimirum Deus in societate hominum distincta esse uitæ genera, & unumquemque, in eo ad quod se arcanis motibus duci adeoq; impelli aduertit, sedulo officium facere. Tanti uero refert unumquemque uocationis suæ diligentem habere rationem, ut nisi pro huius decoro actiones uitæ suæ omnes componat, multa perturbatè geri necessum sit, qua quidem re Deus uehementer offenditur. Alia igitur magistratum, alia priuatum hominem: alia ecclesiarum antistites, alia auditores: alia præceptorem, alia discipulum decent.

**PAEDAG.** Sunt ne sacris literis prodita, quæ ab unoquoque Christiano pro uitæ suæ instituto præstari debent?

**PVER.** Eorum quæ conducunt ad pietatem uel honestatem nihil est à spiritu sancto in scripturis prætermissum. Itaq; magistratibus & subditis, sacrorum ministris & auditoribus, iudicibus, militibus, maritis & uxoribus, dominis & seruis, parentibus & liberis. coniugatis & in concubatu persistentibus, uiduis & uirginibus, nullis

nullis non inueniuntur præscripta sua officia: quæ qui ex animo fecerint, ij placere Deo, & in hominum contubernio piè tranquilleq; uiuere possunt.

PAEDAG. Longum esset recitare eiusmodi præcepta omnia: quamobrem satisfuerit nunc memoria repetere paucula quæ ad magistratus, ad Ecclesiarum gubernatores, & ad parentes pertinent, quo mox de subditorum, ideoq; & de uersiro officio quæ necessaria sunt, proferas. Quæ igitur illos decent qui sunt cum potestate?

PVER. David ita canit: Nunc reges prudentes agite, erudiamini iudices terræ. Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore. Oscula. 2. Para. 19. Et rex iehosaphat. Videte quid agatis. Non enim pro homine, sed pro Deo iudicia decernitis, quippe qui iuxta uos est in causa iudicij. Nunc igitur sit pavor Domini super uos, caute & agite quod illi placet, quoniam non est peruersitas apud Dominum Deum nostrum, ut ille suscipiat personas aut munera.

PAEDAG. Quantum tribuent magistratibus subditi?

PVER. Docet id Paulus hisce uerbis. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Rom. 13.

## ELEMENTA CHRIST.

Non enim est potestas nisi à Deo: quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistenterint, sibi ipsis iudicium accipient. Nam principes non sunt terrori bene agentibus, sed malè. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, & serues laudem ab illa. Deus enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiam. Propter hoc enim & uestigalia soluitis. Siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes.

**P A E D A G.** Audiamus quales esse oporteat ministros Ecclesiarum.

1. Tim. 3.  
Tit. 1.

**P V E R.** Oportet episcopum, inquit Paulus irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, uigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum: non uinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed equum, alienum à pugnis, alienum ab auaritia, qui suæ domui benè præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omnireuerentia (quod si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?)

non nouit

non nouitium, ne inflatus in diaboli criminationem incurrat.

PAEDAG. Quenam uicissim requiruntur ab auditoribus?

PVER. Disertè idem Apostolus. Agnoscatis 1. Thel. 5. eos qui laborant inter uos, & qui præsunt uobis in Domino, & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatem propter opus illorum, pacem habetecum illis.

PAEDAG. Parentibus quicq; parentum loco sunt, qualia præscribuntur?

PVER. Patres ne prouocetis ad iram liberis uestros, Ephes. 6. sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini. Autor idem Apostolus.

PAEDAG. Quomodo sese gerent liberi: erant parentes, & omnes qui uelut alteri parentes habentur?

PVER. Ne id quidem Apostolus tacuit. Filij, Ephes. 6. inquit, obedite parentibus uestris in Domino, nam id est iustum. Honora patrem tuum & matrem, quod est praeceptum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longeuus in terra.

PAEDAG. Ex hisce, opinor, facile colligitur



## ELEMENTA CHRIST.

quæ te, hoc tempore & qua nunc es conditione,  
facere conueniat.

PVER. Equidem uideo me ante omnia magistratum debere, cum prosequi honore, tum timere: omnes dehinc pastores animorum, ut qui de mea quoque salute sint solliciti, summa mihi perpetuo esse colendos obseruantia: postremò parentum, tutorum, præceptorum quorum curæ sum commendatus iussis ut paream esse multò æquissimum. Interea dum ætas, dum res ferunt discendæ pietati ac percipiendis honestis artibus diestatesque gnauiter incumbam. Ad summam, siue in sacro sætu, siue in schola, siue domi, siue alibi fuerit, non committam, ut contra ac Christianæ religionis & honestatis amantem puerum decet, perpetrasse aliquid existimer.

PAEDAG. Hucusque differentem te audiui de operibus tam dilectionis quam uocationis: quæ  
Exercitia Christianæ pietatis, porro sunt tertio ordini attributa Christianæ pietatis exercitia?

PVER. Domini nostri Iesu Christi & Apostolorum sermonibus plurimum celebrantur hæc quatuor: ieiunium, oratio, elemosyna, confessio cui adheret patientia in aduersis quæ ob Christi confessionem accidunt. Quæ sic sese habent, ut in primo

primo quidem eluceat exercitatio pœnitentiæ seu  
humiliationis, in secundo uero fidei, in tertio di-  
lectionis, in quarto spei. Itaque quàm placet Chri-  
sto in discipulis perpetuò apparere certa documen-  
ta pœnitentiæ, fidei, dilectionis, de quibus dictum  
hætenus, deniq; & spei ad quam referuntur de re-  
surrectione iudicioque æterno paulò post dicen-  
da: tam est necessarium, nos omnes iisdem exer-  
citijs crebrò insistere & assuescere.

PAEDAG. Quid uocas ieiunium?

Ieiunium.

PVER. Dum de consueta uictus ratione ali-  
quid ad certum tempus nobis ipsi detrahimus, ac  
solito agimus temperantiùs: idq; partim quò si-  
gnificationem demus pœnitentiæ ac ueræ humilia-  
tionis corâ Deo, partim ut lasciuientem carnem  
in qua prauis affectibus certatim ebulliunt compe-  
scamus, redigamusq; in ordinem: denique ut ad  
orationem qua peccatis nostris debita flagella as-  
serti poscemus, simus magis apppositi.

PAEDAG. Nullum ne extat à Christo edi-  
tum præceptum, uel etiam promissio de ieiunio?

PVER. Christus & ieiunandum esse, & quo-  
modo id fieri debeat, ut Deo sit acceptum, satis  
ostendit hisce uerbis: Tu uerò cum ieiunas, unge Matth. 6.  
caput tuum, & faciem tuam laua, ne conspicuum sit

## ELEMENTA CHRIST.

hominibus te ieiunare, sed patri tuo qui est in occulto, & pater tuus qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo.

**P A E D A G.** Quotplex est ieiunium?

**2. Cor. 6.** **P V E R.** Duplex. Priuatum, quod unusquisque sibi ipsi potest, si quando animaduertit idoneas esse causas, indicere & pro sua prudentia moderari. Publicum, quod Ecclesiarum prescribunt antistites, quando ardua obueniunt totius Ecclesiae negotia quae conuenit precatione ieiunijque Deo commendari, ueluti cum eligi uel ordinari ministrum Ecclesiae oportet, cum synodus cogitur ad controuersas de doctrina fidei dirimendas. Ad haec cum Deus nostris offensus sceleribus graues minatur poenas, aut iam immittit nouas calamitates, ut belorum, famis, pestilentiae &c. Qui ergo publicorum malorum tanguntur sensu, ij quando eiusmodi de causis praecipitur, ieiunare minime detrectabunt.

**P A E D A G.** Quae res efficiunt ut ieiunium Deo neutiquam placeat?

**Rom. 14.** **P V E R.** Primò si non ex fide atque ex animo, **Matth. 6.** sed hypocrisis, cupiditate laudis uel alio quouis prepostero studio ieiunetur. Secundò in ipso ieiunandi modo, ueluti si in tempore, in qualitate uel

quantitate capiendi cibi aliquid à nobis superstitiosè cōmittitur. Tertio, cum ieiunamus nec tamen *Leſa 1.*  
 à vitijs & mala mente deſſimus. Quarto, interpretari ieiunium ad cultum Dei facere, quaſi eo *Lucæ 18.*  
 promereremur iuſticiam, Phariſeorum potius eſt quam Chriſtianorum. Operæ pretiū uerò eſt alios  
 fines utiles, de quib. ante dictum, à nobis ſpectari.

**PAEDAG.** Secundum inter exercitia Chriſtiane pietatis locum dediſti orationi, quæ igitur *Oratio*  
 de hac ſunt nobis obſeruanda?

**VER.** Chriſtus præceptum & promiſſionem de oratione reliquit inſignem: Amen, amen *Ioan. 16.*  
 dico uobis, inquit, quacunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Haſtenus non petijſti quicquam in nomine meo, petite & accipietis.

**PAEDAG.** Quibus modis fit ut oratio noſtra à Deo exaudiatur?

**VER.** Siue publicè in cœtu ſacro, ſiue priuè ſum quouis loco ac tempore inuocare Deum uiſum fuerit: facere id debemus in ſpiritu & ueritate atque animi attentione quàm maxima. Secundo, non modò ſemel eſt orandum, ſed ſæpe & conſtanter. Tertio orabimus ex fide, perſuaſum habentes, nos per Ieſum Chriſtum nihil non à Deo patri cœleſti impetraturos, quæ ratio orandi

*Matth. 66  
 Ioan. 4.  
 Luc. 11. 18  
 Ioan. 16.  
 Luc. 10*

## ELEMENTA CHRIST.

Christianorum propria est, utpote à nullis qui alias sectas prosequuntur usurpata.

PAEDAG. Habes ne aliquam quotidianæ precationis aptam formam?

PVER. Varijs quidem uti formis subinde nos cogit occurrens necessitas, unam tamen præscriptam Christus numeris omnibus absolutam, ad cuius exemplar quæcunque aliæ componi debent.

Matth. 6.

Lucæ 11.

Ad hunc modum orate, inquit: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: aduentat regnum tuum: fiat uoluntas tua quemadmodum in cælis, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum, Amen.

PAEDAG. Si distinguas ac separes certas eius partes, explicari abs te commodè poterit.

PVER. Tota diuiditur in breue exordium, & sex petitiones, è quibus tres antecedentes ad regni & gloriæ Dei amplificationem spectant, reliquæ de nostris agunt necessitatibus. Nec deest quod conclusionis loco accipi queat.

PAEDAG.

PAEDAG. Quam esse putas paucorum uerborum in exordio sententiam?

PVER. Equidem Patrem nominans interpretor illum libenter sic à nobis interpellari, & perque benignè nostra audire uota, atque parens quilibet dilectissimi filioli flectitur blandis uocibus. Nostrum dicimus, quem scimus credentes omnes filiorum complecti loco. Esse in caelis profitemur, non quòd non adsit ubiq; impleatq; uniuersa, sed partim quòd tanquam è sublimiori loco nostra omnia intueatur, & audire citoq; succurrere tum possit, tum uelit, partim ut mens nostrae noxijs affectibus & rerum terrenarum curis omnibus abiectis in solum Deum & res caelestes aeternasq; defixa inter orandum haeat.

PAEDAG. Habes ne quod simili modo dicas de tribus petitionibus prioribus?

PVER. Petimus in primis sanctificari Dei nomine, hoc est, ipsum solum ab omnibus ubique hominibus agnosci, religiose coli & inuocari, ne uel a re ipsius imminuatur dignitas. Aduenire optamus ipsius regnum, quod fit quando potestas ac tyrannis satanae conteritur, atque in rebus spiritualibus quotidie incrementum capit uera Ecclesia, in qua pij tantisper in doctrina sanctisq; a-

## ELEMENTA CHRIST.

tionibus proficiunt, dum cum Christo ad regnū  
perueniant celeste & æternum. Cum deinde ma-  
ior sit nostra tūc malitia, tūc infirmitas quā  
ut plene obtemperare Dei mandatis uelimus aut  
Rom. 7. 3. possimus, nostram desideramus adiuuari ac regi-  
uoluntatem, quò quæ ipsi grata sunt, sic perpe-  
tuò exequamur, quem admodum officium omne  
ad ipsius nutum sedulò faciunt creaturæ celestes  
uniuersæ.

**P A E D A G.** Tantundem audiamus de tribus  
petitionibus posterioribus.

**P V E R.** Panem omniāq; ad sustentationem  
corporis necessaria dari flagitamus, certi neque  
acquiri nostra prudentia uel industria, neq; utilia  
fieri, nisi Deus ipse largiatur, suoq; favore reddat  
salutaria. Quotidiano pane contenti frenos cu-  
piditati iubemur inijcere. Postulantes dari hodie,  
non modo omnem de crastino deponimus solici-  
tudinem, uerumetiam quolibet die ad preces  
redeundum testamur. Quod insuper ad animi salu-  
tatem est pernecessarium, debita nostra remitti no-  
bis petimus. Etenim quæ lege Dei sunt nobis im-  
perata minimè facimus, peccatis accumulamus in-  
dies peccata, gratias pro beneficijs acceptis agere  
negligimus, quis igitur non uidet quanta sint de-  
bita? Atqui propter filium Iesum Christum om-  
nia

omnia confidimus nobis condonanda, maxime si nos quoque illis ex animo parcamus qui nos laeserunt. Postremo ubi tam corpori quam animo fuerit prospexit, super est impendentia undique mala, siue interna & spiritum infestantia, siue externa & corpori noxia deprecemur. Itaque ab omnibus tuti esse periculis cupientus, patrem celestem obtestamur supplices, ne inducat nos in tentationem, sed ab omni malo, in primis à satanae omnium malorum architecti ludibrijs atque tentationibus eripiat.

P A E D A G. De ijs quæ conclusionis ponuntur loco, piam exprime sententiam.

P V E R. Fidem ea uerba in nobis mirifice accipiunt, utpote quæ iubent nos considerare Deum patrem celestem quæcumque postulamus benignè concessurum. Etenim si non nostra causa, at certe propter semetipsum ille qui solus potest omnia, & cui soli regnum ac gloriam deferri omnem oportet, quæuis, quæ modo iuste & salutariter cupimus, perficiet. Amen, id est, fiat. Caput rei in omni precatione est, sperare & credere nos ab optimo indulgentissimoque patre exaudiri.

P A E D A G. Video te singula precationis Dominicæ membra rectè affecutum. Da operam ut



## ELEMENTA CHRIST.

**Elemosyna.**

frequentem totoq; animo orationi & gratiarum actioni uoces. Quid autem restat differendum de elemosyna, quam dixisti exercitium esse dilectionis?

**Lucæ 6.**

**1. Ioan. 3.**

**PVER.** De ea Christus hoc euulgauit preceptum cum adiecta promissione. Estote misericordes sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini. Remittite & remittetur uobis. Date & dabitur uobis, Ioannes propterea dicere non dubitat: Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei ne diligamus uerbo neque lingua, sed opere & ueritate. Ex quibus conficitur, si ueri esse Christi Iesu discipuli, si patris celestis esse filij & imitatores, si denique ab eodem misericordiam consequi uolumus, nostrarum esse partium, in fratres egentes quicquid humanitatis & beneficentiae Christianae nomine comprehenditur impigre exercere:

**PAEDAG.** Quibus modis elemosyna recte impenditur?

**PVER.** Unusquisque ex fide & per charitatem, non ad ostentationem uel spe mutuae operum, quam

quantum pro facultatum & conditionis modo potest, & ut diuersæ sunt hominum necessitates, bene de alijs mereri uarijs modis studeat. Sunt famelici, nudi, peregrini, captiui, egroti, ignorant, mæsti alijsq; de causis afflicti: quare cibo, uenue, hospitio, patrocinio, salubri consilio, doctrina, consolatione cæterisq; idgenus officijs succurri illis oportet. Qui proinde uno modo opitulari haud potest, alio id faciat licebit, quemadmodum Christus, quoque declarat, misericordiam fieri non tantum dando aliquid, uerum etiam non iudicando, non condemnando, & remittendo offensas. Hinc autem fit, ut nemo à benefaciendo excusetur.

Lucæ 6.

**P A E D A G.** Tu proinde, monendo, docendo, consolando, obsequendo & quacunque similiratione iuuare alios tam diu assuescas, quoad maiora prestare dabitur. De Confessione & comitantem hanc periculorum tolerantia, nō nihil dicit.

Confessio  
Christi &  
periculo  
rum pro  
pter cau-  
dem per-  
pessio.  
Matt. 10.

**P V E R.** Manifesta sunt Christi uerba: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo qui est in cælis. Porro quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo, qui est in cælis. Ne arbitremini quod uenerim ad mittendum pacem in terram. Non ueni ut mittam pa-

## ELEMENTA CHRIST.

ecum sed gladium. Nam ueni ut disfidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam, & inimici hominis erunt ij qui sunt domestici ipsius. Qui amauerit patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam ac sequitur me, non est me dignus. Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam: & qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam.

**P A E D A G.** Expone eadem paulò dilucidius.

**P V E R.** Est in ore & in corde nostro uerbum fidei, quod Apostoli toto orbe predicarunt: nempe si confessi fuerimus, ( uerba uirgo Apostoli ) ore nostro Dominum Iesum, & crediderimus in corde nostro quod Deus illum excitauit à mortuis, salui erimus. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Itz uerò comparatum est, quia princeps mundi huius satanas, tum ipse mundus norunt se per Christum arguendos ac iudicandos, statim omnibus Christum confitentibus indignantur, struunt insidias, cupiunt eos è medio sublato. Qui nanque Christum præceptorem crudeliter sunt persecuti, nimè parcunt discipulis. Nec potest seruatorum meo

Rom. 10.

Ioan. 22.

14. 16.

Ioann. 15.

17.

Matt. 10.

16.

Marc. 13.

Lu. 12. 14.

fior esse conditio quam Domini. Sic interim pij Matt. 10.  
 muniuntur & confirmantur Dei spiritu, ut pro Rom. 8.  
 pter Christum deserere propinquos, honores, fa- 2 Tim. 3.  
 cultates, tandemq; & animam perdere, hoc est, ui- Act. 14.  
 te adire discrimen non refugiant. Persuasum  
 quippe habent, omnes qui piè uolunt uiuere in Matt. 20.  
 Christo, eos persecutionem quidem debere pati,  
 si tamen in finem usque sustinuerint, saluos fore.  
 Quocirca tantum abest ut in hostes ob Christi  
 causam infestos uicissim aliquid hostile moliantur  
 uel ultionem expetant: ut pro iisdem per igno-  
 rantiam presertim peccantibus, ad patrem cœle-  
 stem secundum præceptum & exemplum Chri- Matt. 6.  
 sti, intercedant. Itaque assidue eundem precor, ut Luc. 23.  
 in agnitione & confessione ueritatis, in patientia,  
 in fide, charitate & recta inuocatione ad uitæ us- Matt. 10.  
 que extremum me seruet.

PÆDAG. Pater cœlestis per filium suum  
 unigenitum in spiritu sancto faxit te sanctissimi  
 propositi semper tenacem conspiciamus.

## De impositione manuum.

### Cap. V.

PÆDAGOGVS. Quid uocas imposi-  
 tionem manuum?

PVER. Ceremoniam qua antistes Ecclesia Hierony  
 contra Lu  
 ciferianos,

ELEMENTA CHRIST.

imponit capiti hominis credentis manus & eidem  
benè à Deo precatur.

PAEDAG. Fuit ne hæc ceremonia Christo  
& Apostolis in usu?

PVER. Maximè, quamvis non uno modo,  
neque eundem ad finem.

PAEDAG. Quotuplex igitur impositio ma-  
nuum commendatur in sacris literis?

PVER. Triplex. Vnam adhibuerunt Chri-  
stus & Apostoli, tum pueris, tum quibuscunq; crea-  
turis recens baptizatis, ut spiritum sanctum  
acciperent. Altera usitata fuit in designandis Ec-  
clesiarum publicis ministris, episcopis, presbytes  
ris, diaconis. Tertiam placuit Christo exerceri  
apud egrotos, ut quicumque uiderent hos sola  
manuum impositione & precatione adiuncta sa-  
nitatem pristinam recuperare, ihinc intelligerent  
quanta esset euangelij certitudo ac dignitas, eo aus-  
tem pacto ad fidem in Christum adducerentur.  
Verum hæc non amplius est in usu. Cum enim ue-  
luti pars esset facultatis edendi miracula, tam  
diu fuit utilis ac necessaria Ecclesijs, quoad Euan-  
gelij ueritatem signis comprobari expediebat. Sed  
cunda adhuc locum habet, sed tantum in ordina-  
tione ministrorum Ecclesiæ. De prima ergo nobis  
in presenti agendum.

PAEDAG.

PAEDAG. Quam ob causam capiti de doctrina subijcitur istud de impositione manuum?

PVER. In capite de doctrina satis superq; expositum est, quomodo eum qui Christo nomen dedit ac baptizatus est, prestare cum dilectionis cum uocationis officia, uacare deinde exercitijs pietatis oporteat. Atqui cum baptizatis per magna adhuc insit imbecillitas atque torpor, nec bona opera ab ijsdem qua decet diligentia & puritate persiciantur, diabolus item ac mundus mille modis obstant pijs conatibus: opus sanè habent spiritu sancto qui ipsorum opituletur infirmitatibus, qui ad bene agendum impellat, qui satanae in nos insultantis impetum ferocianq; comprimat, qui denique in certaminibus & periculis quae propter ueritatis confessionem obtingunt, assistat, animet ac tueatur. Quando autem alicui imponuntur manus, precatio fit ad Deum pro huiusmodi ope spiritus sancti impetranda.

Rom. 7. 8  
Ioan. 12.  
14. 16.  
1. Petr. 5.  
Galat. 5.  
Ephes. 3.  
Matt. 10.

PAEDAG. Optas igitur & tu hac ratione manus tibi imponi?

Augustin.  
de baptis.  
contra doct.  
natisias lib.  
bro 3. cap.  
pua 16.

PVER. Sic ut nihil auidius. Etenim paratus sum, quam primum parentibus usum fuerit & susceptoribus, me sistere antisluti Ecclesiae & coram uniuersa multitudine, exigenti eidem fidei confessionem adeoq; summam doctrinae quam habeo.

## ELEMENTA CHRISTI.

Aenus percepi reddere. Id uero, partim quo illi  
 qui quondam in baptismo responderunt meo no-  
 mine, ac sponderunt se ut in elementis Christianae  
 religionis instituerer curaturos, liberentur:  
 partim ut mea ipsius uoce & confessione me totum  
 Christo redemptori ac domino addicam. Quod  
 si autem tunc etiam manus mihi imponantur, &  
 sanctis preceationibus Ecclesiae spiritus sancti im-  
 petretur mihi auxilium, confido me deinceps iuste  
 ac pie, quemadmodum Christianam professum re-  
 ligionem decet, in Ecclesia Dei sancta uicturum.

**PAEDAG.** Equidem pium desiderium tuum  
 non possum non probare. Atqui par esse iudico,  
 ut ubi manus tibi eo pacto fuerint impositae, cum  
 reliquis credentibus in sacra caena Domnica con-  
 socieris.

Cena Do-  
 monica.

**PVER.** Peropportune admones. Persuasum  
 nanque habeo piorum mentes quemadmodum ad-  
 manuum impositionem & preceationem Ecclesiae  
 mirifice agitantur arcana spiritus sancti uirtute:  
 ita fulciri, & roborari easdem quando in sacra  
 scena mystico corporis & sanguinis Christi pabu-  
 lo reficiuntur. Quibus autem rebus Christiani uo-  
 minis animus recreari & confirmari possit, ea  
 opere pretium est cupide appetamus, quanquam  
 me imprimis permouet seruatoris nostri Christi  
 de usurpanda sacra caena praeceptum. Amen amen  
 dico

Ioan. 6.

dico uobis, inquit, nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis.

PAEDAG. Nihil obstat, quin ad Domini mensam primo quoque tempore accedas: si tamen quæ ratione eam Christus ipse peregerit & peragi à nobis uelit: tum quænam sint coenam Domunicam ritè edere uolenti consideranda: denique quàm multiplicia commoda spiritualia ex ea capiuntur, probè teneas. Primum igitur ex te audire uolo, quomodo sacram Coenā peragi Christus instituerit.

PVER. De eo Mattheus, Marcus, Lucas, Paulus uno ore consentientes ita scriptum reliquerunt. Dominus noster Iesus Christus in ea nocte qua traditus est, accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, edite. Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam cenauit accepto calice, cum gratias egiisset, dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes. Hic calix nouum testamentū est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunq; biberitis in mei commemorationē. Quotiescunq; enim comederitis panē hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec uenerit.

Matt. 26

Marc. 14

Luc. 22.

1. Cor. 11.



ELEMENTA CHRIST.

**PAEDAG.** Expone secundo loco quandam  
pium hominem, qui quemadmodum decet cœnam  
Domini edere cupit, expendere ac aestimare sit ne-  
cesse.

1. **PVER.** Principio sacram hanc cum reliquis  
credentibus cœnam peragentes, palam ante om-  
nium oculos profiteamur, nos religionem Chris-  
tianam ceu solam, certam, ueram, inconcussam, et  
eternam amplecti, nihilq; nobis cum doctrina, rit-  
ibus Iudæorum uel Gentilium, aut quouis modo  
à Dei uerbo discrepantibus, commune esse. Cuius  
1. Cor. 10 rei nos commonescit Apostolus dicens: Non pon-  
testis poculum Domini bibere, & poculum dæmo-  
niorum. Non potestis mensæ Domini participes  
esse, & mensæ dæmoniorum.

**PAEDAG.** Quid deinde considerandum est

2. **PVER.** Quo omnes intelligant nos non inu-  
niter iactare Christianæ religionis nomen, sed rem  
ipsam omni studio expetere: ostendimus Christi  
præcepta nobis curæ esse, ac uelle nos morem ge-  
rere in omnibus. Fidem autem facimus, cœnâ Do-  
minicam ad ipsius præscriptum edentes.  
Ioan. 6.

**PAEDAG.** Non dubium quin Deo prom-  
pta hæc uoluntas & obedientia uehementer pro-  
betur.

**PVER.**

**PVER.** Tertiò, eum qui spiritualement ex cœna  
 Dominica uult fructum capere, necesse est uera  
 duci pœnitentia, hoc est, antea cœna fateri ac deplo-  
 rare crimina, & mores corrigere. Etenim si quis  
 pœnitentia uacans, & perseuerare in uitijs uo-  
 lens, Dominicam cœnam ederet, tantum abest ut  
 beneficium ex ea referat, ut etiam maiestatis, quan-  
 doquidem Christum afficit contumelia partanq̃  
 per eum aspernatur gratiam, damnetur. Id autem  
 sibi uolunt hæc Apostoli uerba. Quisquis ederet  
 panem hunc aut biberit poculum Domini indi- 1. Cor. 11.  
 gne, reuerit corporis & sanguinis Domini. Pro-  
 bet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat  
 & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit in-  
 digne, iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans  
 corpus Domini.

**PAEDA G.** satin uero semetipsum probat,  
 cui propria peccata dolorem commouent?

**PVER.** Vera pœnitentia in qua consistit sui  
 ipsius probatio, detestatione scelerum nequaquam  
 contenta est, sed requirit etiam fidem qua eorum  
 dem per Dei clementiam apprehendimus condona-  
 tionem. Suscitatur proinde & exercetur omnium  
 illorum fides, qui cœna Dominica utuntur, ut po-  
 te in qua Christus cunctis cum pœnitentia & ue-  
 ra fide accedentibus remissionem offert criminum.

ELEMENTA CHRIST.

1 Cor. 11. Perspicua sunt de hac re ipsius uerba. Accipite, inquit, hoc est corpus meum quod pro uobis frangitur: hic est sanguis qui pro uobis effunditur, siue hic calix nouum testamentum est in meo sanguine qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Quisquis igitur animaduertit animum suum peccatis saucium ac prope enectum, si dem uero mature conuertit ad promissionem de peccatis per sanguinem et mortem Christi expungendis, atque ita ad Domini se confert mensam, illico sanari conscientiae suae uulnera, seque criminibus solui minime dubitabit.

PAEDAG. Recondita ne est in sacra coena etiam exercitatio quaedam charitatis?

3. PVER. Est, et quidem tam eius qua Deum, quam qua proximum complectimur. Certè Christus in sacra coena immensam charitatem suam extollit et praedicat, dum in memoriam hic reducit, ac uelut oculis spectandam proponit acerbissimam mortem quam salutis nostrae causa oppetit, dum praeterea asseuerat se carnem suam et sanguinem communicare et impendere nobis uelle. Accipite, inquit, hoc est corpus meum quod pro uobis frangitur. Bibite, hic est sanguis meus qui pro uobis funditur. Hoc facite in mei commemorationem. Vicissim uerò nostram in ipsum charitatis

Item quoad licet hic declaramus, siquidem anxie  
 percipimus eiusdem corporis & sanguinis, ac om-  
 nium eorum quae ille nostri causa effecit, partici-  
 pantes fieri: sic nimirum persuasi ab Apostolo di-  
 cente. Poculum benedictionis cui benedicimus,  
 nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis  
 quem frangimus, nonne communicatio corporis  
 Christi est? 1. Cor. 10

**P A E D A G.** Commonstrat ne praeterea sacra  
 haec actio, tum Christi in nos, tum nostram in Chri-  
 stum charitatem?

**P V E R.** Quod nunc dicam, antecedentia lon-  
 ge superat. In sacra coena non modo impetramus  
 ut nobis condonentur crimina, corpori & sangui-  
 ni Christi communicamus, verum etiam cum Chri-  
 sto consociamur, & sic arte copulamur, ut ille  
 quidem in nobis, nos uero in illo maneamus. Caro Ioan. 6.  
 mea, inquit, uere est cibus, & sanguis meus uere  
 est potus. Qui edit meam carnem & bibit meum  
 sanguinem, in me manet & ego in illo. Porro do- Rom. 8.  
 neri nobis cum Christo bona omnia, & ab ipso in  
 nobis manente nos sanctificari, feliciter usque regi,  
 utos insuper fieri a periculis, quis est qui ambigat?  
 Quin etiam haec Christi nobiscum coniunctio in  
 causa est, cur in sacra coena testamenti quoque, siue  
 foederis ratio consideretur. Hic calix nouum tea-

ELEMENTA CHRIST.

tamentum est inquit in meo sanguine. Christus  
 nanque dignatur quodam modo nobiscum fœdus  
 icere ac renouare, cuius religione freti, tum audea  
 mus omnia de Christo bona nobis polliceri, tum  
 in Christi gratiam quæ uis agere ac pati nos uelle  
 profiteremur; quorum altero quidem fides, altero  
 uero charitas in nobis alitur & augetur.

PAEDAG. Perge & de charitate in proximo  
 mum dicere.

7. PVER. Unus panis, ait Apostolus, unum cor  
 1. Cor. 11. pus multi sumus. Nam omnes ex eodem pane par  
 ticipamus. Itaque sacram Domini cœnam edens,  
 unum agnoscit ac ueneratur Ecclesie uniuersæ  
 corpus, se eius esse uiuum membrum, eoq; uelle ce  
 tiam cæteris eiusdem corporis membris, hoc est,  
 Joann. 13. pijs fratribus pro eo ac res suppetit opitulari. Ac  
 14. 15. Christus propterea à cœna nouissima prelixè est  
 de credentium mutua dilectione concionatus. Nec  
 Matt. 5. phas est ad sacram mensam ullos admittere nisi  
 conciliatos, id est, qui cum ijs à quibus dissen  
 rant, redierint in gratiam.

PAEDAG. Potes ne simili ratione ostendere  
 spem quoque in cœna Dominica exerceri?

8. PVER. Sic ut uix alibi clarius. Ita habent  
 Joann. 6. Christi uerba. Qui edit meam carnem & bibit  
 meum

meum sanguinem, habet uitam aeternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Aliquoties item repetit Christus fore, ut qui ipsius ederet carnem & biberit sanguinem, immortalitate & uita sempiterna propter ipsum fruatur. Talem igitur ex Christi ore promissionem, de resurrectione à morte & uita immortali audiens, quid ni speret atque confidat, se post hasce erumnas eadem bona accipiturum?

**PAEDAG.** Non difficiliter ergo ex his quae dicta sunt in ordinem digerere multiplices commo- ditates spirituales, quas quisquis semetipsum ritè probarit, ex caena Dominica percipit.

**PVER.** Ita profectò est: qui qua decet religione ac pietate Dominicam adit mensam, atque ex animo contestatur, se solam religionem Christianam maximi facere, se Christi mandatis parere uelle, sibi dolere ante acta crimina ac uitae emendande teneri studio, se fidem habere in Christi promissiones, summa Deum & homines prosequi charitate, in spem se ingredi uitae melioris, & sine ulla dubitatione cunèta promissa bona accipit. Nam praeterquam quòd fidei, charitatis & spei admirabile sentit incrementum, Deum praeterea experitur propitium & fauentem, remittuntur ei admissa scelera, communicatio obtingit carnis & san-

ELEMENTA CHRIST.

guintis Domini nostri Iesu Christi, summa ei con-  
ceditur cum Christo conuenientia & coniunctio  
ut Christus quidem in ipso, ipse uero in Christo ma-  
neat, ad hanc societatem unit sanctissimam qua cum  
uniuersis Ecclesie Dei adscriptis omnium bono-  
rum spiritualium fiat particeps, postremo certior  
fit de resurrectione ac beatitudine in caelis aeter-  
na. Eam igitur actionem in qua tam multa, tanq[ua]m  
excellencia beneficia spiritualia obueniunt, quis  
non in summo habeat honore? quis non percipiat  
optetq[ue] ad eam admitti?

PAEDAG. Iudicare aliter non possumus,  
quam longè preclarissima esse quae Christus uelut  
testamentum condens, cum è mundo esset migra-  
turus ad Patrem, discipulis faciendae credendaeq[ue]  
reliquit. Nam ut uideo, in hac una actione, non  
solum praecipuorum capitum nostrae salutis, poe-  
nitentiae inquam, fidei in Deum, charitatis erga  
Deum & homines, deniq[ue] & spei perpetua pro-  
ponitur meditatio & exercitatio, uerum etiam  
amplissima dona reuera accipiuntur.

9. PVER. Nondum dixi omnia. Ad hunc quoq[ue]  
finem sacram coenam frequenter à nobis peragi  
Christus uult, ut mortis ipsius, qua cuncta  
quae recensuimus bona sunt nobis parta, redinte-  
graremus subinde ac celebraremus memoriam,

ut itidem pro tantis beneficijs aliquam conficere-  
mus gratitudinis significationem. Hoc facite, in-  
quit Christus, in mei commemorationem. Et quo- 1. Cor. 10.  
tiescunque comederitis panem hunc, ac de poculo  
hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis don-  
 nec uenerit.

PAEDAG. Equidem Deum precor, ut quam  
docunque manus tibi imponi, aut mensæ Domi-  
ni participem te fieri contigerit, tum uberrimos  
hosce fructus spirituales tibi largiatur. Te uerò  
hortor & obtestor, ut magis magisq; quotidie in  
fide, charitate & spe proficere, te ipso melior san-  
ctiorq; euadere, sedulo adnitaris, unde omnes de-  
um intelligere queant, te uerè à spiritu sancto  
regi, muniri ac seruari, & Christum in te, teq; in  
Christo manere.

PVER. Hæc quo ita fiant, Patrem celestem  
per Christum orare non intermittam.

## De mortuorum resurrectione.

### Cap. VI.

PAEDAGOGVS. Quam intelligis resur-  
rectionem mortuorum?

PVER. Christus Dominus astruit corpus ho Matth. 10



## ELEMENTA CHRIST.

Ioan. 5.

minis posse interimi, animum uero nequaquam, ut qui immortalis existat. Addit nihilo minus corpora nostra, postremis temporibus, priusquam ipse in omnes homines det iudicium, reuictura. Veniet, inquit, hora qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem filij Dei, & prodibunt qui bene fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero male egerunt ad resurrectionem condemnationis.

**P A E D A G.** Cur fidem de resurrectione necesse est diligenter & hoc loco inculcari?

Matt. 22.

Marc. 12.

Act. 14.

**P V E R.** Primò. Hæc fides Christianorū propria est. Nam Iudæorum pleriq; corporum resurrectionem ausi sunt inficiari & oppugnare: gentiles uero contemptim irridere. Secundò. Quæ hactenus enarrata sunt ad fidem & charitatem præcipue pertinent: hisce autem capitibus de resurrectione atque iudicio æterno spes exercetur. Tertio, qui baptizati sunt, omnemq; uitæ piæ instituentia tenent rationem, præterea spiritu sancto sunt in impositione manuum confirmati, partim proposita spe resurrectionis, partim metu iudicij secuturi, & excitantur ad diligentiam, & retinentur in officijs pietatis.

**P A E D A G.** Credis ne eadem corpora quæ nunc habemus reuictura?

**P V E R.**

PVER. Quid ni? Hiobus ait: Ego scio quòd Hiob. 194  
 redemptor meus uiuit, qui & in nouissimo con-  
 surget super iacentes in puluere. Et postquam  
 corroserint uermes corpus istud, uidebo Deum in  
 carne mea: quem ego uidebo pro me & oculi mei  
 uisuri sunt. Apud Iezechielem prædicit Dominus Iezech. 374  
 ossa hominum arida iterum debere extrinsecus  
 carne & cute circundari, spiritum quoq; immit-  
 tendum. Sed apertissime hæc comprobauit Chri-  
 stus, eodem planè corpore resurgens, quo paulò  
 ante mortem pertulerat.

PAEDAG. Erunt ne prorsus talia corpora  
 qualia nunc sunt?

PVER. Substantiam si consideramus, erunt  
 prorsus eadem: sin de qualitatibus quæstio est,  
 magna erit diuersitas. Multis modis excellentiora  
 erunt quàm nunc sunt. Quod enim nunc corru-  
 ptioni, morti, ignominie, infirmitati est obno-  
 xium, id erit tunc, teste Apostolo, incorruptibile, 1. Cor. 15.  
 immortale, insigni gloria ornatum, firmum. Quis  
 posset ornamenta omnia quæ accedent enume-  
 rare?

PAEDAG. Quis ex doctrina & confessione  
 resurrectionis mortuorum ad nos redit fructus?

PVER. Primò, Ex tanta corporum nostro-

ELEMENTA CHRIST.

1. Cor. 15. *rum futura extremis temporibus dignitate perspicui potest, quàm præclara beneficia per Christum, cuius resurrectio nostra resurrectiois causa est, consequamur. Secundò, Hac resurrectiois spe nosmetipsos ad pietatis opera præstanda necesse est stimulemus. Cur non sit solito alacrior ad benè agendum cui constat, nouam & meliorem superesse uitam, in qua benefactis suis honos, pulcherrimaq; deseruntur præmia? Tertio. Quicquid graue aut molestum acciderit, ipsanq; adeò mortem æquiore seremus animo, si nos olim apud Christum, cum animo tum corpore optimè habituros confidamus.*

De iudicio æterno. Caput VII.

PAEDAG. *Quorsum istud caput de iudicio æterno omnibus subijctur?*

PVER. *superuacanea planè essent. nia antecedentia, pœnitentia, inquam, fides, baptismus, doctrina, manuum impositio, deniq; resurrectio, nisi certi essemus iudicium restare æternum, quò à Deo Patre cœlesti & filio eius Iesu Christo nobis decernentur præmia.*

PAEDAG. *Quare hoc iudicium uocatur æternum?*

PVER.

**PVER.** Quia postremis temporibus per Christum, cui pater iam omne cedit tam in caelis quam in terra ius ac potestatem, exercebitur: in quo tunc uniuersi simul sistentur homines atque 2. Cor. 5. excepta iudicis sententia, alij quidem beatitudine & uita fruuntur aeterna, alij uero damnationem & poenas aeternas sustinebunt. Discernitur etiam hoc pacto iudicium istud à reliquis iudicijs, quae quouis tempore, partim à Deo, partim ab hominibus hic exercentur & temporanea sunt, attamen huius aeterni certissima argumenta.

**PAEDAG.** Quo apparatu uenturus est Christus, tum qua seueritate iudicium in homines dabit?

**PVER.** Cum uenerit filius hominis, (uerba Matth. 194 recito ipsius Christi) in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo tunc sedebit super sedem gloriae suae, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oves ab haedis, & statuet oves quidem à dextris suis, haedos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris siberunt: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Post pauca. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

ELEMENTA CHRIST.

Et hi quidem ibunt in supplicium æternum, iusti  
uero in uitam æternam.

PAEDAG. Quiuis ista secum reputans me-  
rito cohorresceret. Quis autem in tali iudicio con-  
sistat?

PVER. His quos scelerum premit conscien-  
tia, nihil mirum si tempus illud sit formidabile. At  
Roman. 8. uero pij tantum abest ut percellantur, ut etiam ue-  
2. Thes. 1. hementer exoptent Christum cito aduenire, ut po-  
te scientes se tunc omnibus malis eximendos, &  
quietem ac gloriam accepturos sempiternam.

PAEDAG. Cur Deus tempus aduentus Chri-  
sti ad iudicium uult homines latere?

PVER. Per multa quidem signa omnibus se-  
Matt. 24. culis Christum certo & propediem aduenturum  
25. prænunciant: iccirco uero tempus ignorantes de-  
finitum, ut per omnem uitam simus diligentes, &  
sic fidem exerceamus, charitatis proferamus fru-  
ctus, spem fulciamus Diuinis promissionibus, tan-  
quam quouis momento temporis ad tribunal Chri-  
sti rapiendi, ubi immutabilem de nostra absolu-  
tione uel damnatione audiamus sententiam. Deum  
autem Patrem coelestem supplex oro, quò men-  
tem & actiones nostras omnes, spiritu suo sancto  
tantisper gubernet, dum tandem cum ouibus sistamur

mur ad filij sui Iesu Christi dextram, ex cuius ore  
 letam excipiamus uocem: Venite benedicti Pa-  
 tris mei, possidete regnum paratum uobis à mun-  
 di exordio. Amen.

FINIS.

LIBRI CANONICI, ET  
 tria Symbola celebratissi-  
 sima.

Forum quæ hætenus de elementis Christianæ  
 religionis mediocriter sunt à nobis explicata,  
 ubertorem cognitionem si quis expetit, hunc ne-  
 cesse est libros sacros, Canonicos quòd religionis  
 ac fidei nostræ sunt norma ac regula appellatos,  
 à Prophetis & Apostolis editos, non minori assi-  
 duitate quàm religione euoluere. Horum nanq;  
 quotidiana lectione & meditatione accurata effi-  
 citur, ut quis non tantum ad altiorem gradum in-  
 ordine discendum pietatem, uerùm etiam ad sub-  
 limem locum inter docentes perueniat, pro do-  
 norum uidelicet modo, quem Christus ipse, qui fre Ephes. 4.  
1. Cor. 12.  
 quenter & cum fide est ab omnibus interpellan-  
 dus, unicuique constituerit. Canonicos autem li-  
 bros p̄i uniuersi hos agnoscunt & uenerantur:  
 in ueteri quidem testamento, Genesim, Exodum,  
 Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iero-

ELEMENTA CHRIST.

suam, iudices, Samuëlis primum & secundum, Regum primum & secundum, Iesaiam, Ieremiam, Iezechielem, Danielem, Hoseã, ioëlem, Amosum, Abadiam, Ionam, Micham, Nahum, Habacuc, Zephaniam, Haggæum, Zachariam, Malachiam, Psalmos, Hiobum, Prouerbia, Canticum canticorum, Ruth, Threnos Ieremie, Ecclesiastum, Esther, Ezra primum, Nehemiam, Annales seu Paralipomena: in nouo uerò, Matthæum, Marcū, Lucam, Ioannem, Acta Apostolorum, Epistolas D. Pauli ad Romanos, ad Corinthios primam & secundam, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philipenses ad Thessalonicenses primam & secundam, ad Timotheum priorem & posteriorem, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Iacobi unam, Petri duas, Ioannis tres, Iudæ unam, Apocalypsin. Auctoritas igitur atque fides omnibus hisce libris summam debemus adiungere, tum quia non ab hominibus, sed ab ipso spiritu sancto per homines loquente sunt conditi & euulgati, tum quòd quæcunque ad perfectum Dei cultum, & puram religionem pertinent, quæ item ad salutem nostram sunt necessaria, ut luculenter comprehendunt, ita demonstrant apertissimè: quanquam & spiritus sanctus spiritum credentium de hac re in illis ipsis scriptis uoluminibus certiore facit: postremo non parum commouet catholicæ atque orthodoxæ

1. Petr. 1.

Ioan. 5. 6.

2. Tim. 3.

Luc. 21.

Rom. 8.

Ioan. 5.

& Ecclesie dignitas summaq; consensus. Quibus  
 de causis tria insuper celebratissima Symbola quæ  
 summam Christianæ fidei mira breuitate è libris  
 Canonicis expromptam continent, nobis probari  
 cum eadem sancta Ecclesia quam religiosissime  
 confitemur. Sunt autem hæc: primum recepto  
 more nominatum symbolum Apostolorum: secun-  
 dum in Nicæna editum synodo, nisi quis ad pri-  
 mum Constantinopoli habitum concilium referre  
 malit: tertium quod conscripsit Athanasius Ale-  
 xandrinæ Ecclesiæ episcopus. Symbolum Aposto-  
 licum, quoniam paulò antè in elementis religio-  
 nis Christianæ capite 2. recitabatur, nequaquam  
 opus est hic adscribi.

### Symbolum Nicænum.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem,  
 factorem cœli & terræ, uisibilem omnium  
 & inuisibilem.

Et in unum Dominum Iesum Christum, filium  
 Dei unigenitum, & ex patre natum ante o-  
 mnia secula.

Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum uerum  
 de Deo uero, genitum non factum. consubstan-  
 tiale Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines & propter nostram sa-  
 lutem, descendit de cœlis.



## ELEMENTA CHRISTI.

Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria uirgine & homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.

Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum uenturus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum Dominum & uiuificantem, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

Confiteor unum Baptisma, in Remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum, & uitam uenturi seculi, Amen.

## Symbolum Athanasij Episcopi.

Quicumque uult saluus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem. Quam nisi quisque integram, inuiolatamque serauerit, absque dubio in æternum peribit.

Fides

RELIGIONIS. 53

Fides autem Catholica hæc est: Ut unū Deum in Trinitate, & Trinitatē in Vnitate ueneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filij & Spiritus sancti una est diuinitas, equalis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus.

Et tamen non tres Diij, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

## ELEMENTA CHRIST.

Quia sicut singulatim unamquamque personam Deum aut Dominum confiteri, Christiana ueritate compellimur: ita tres Deos aut Domini nos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater non tres patres, unus Filius non tres filij, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & eorum æquales.

Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, & trinitas in unitate, & unitas in trinitate ueneranda sit.

Qui uult ergo saluus esse, ita de trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quòd Dominus noster Iesus Christus Dei filius Deus & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus,  
 & homo ex substantia matris in seculo natus.  
 Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima ratio-  
 nali & humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum diuinitatem, minor Pa-  
 tre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen sed u-  
 nus est Christus.

Unus autem non conuersione diuinitatis in car-  
 nem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae, sed uni-  
 tate personae.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est ho-  
 mo, ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad in-  
 feros, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei patris  
 omnipotentis.

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere ha-  
 bent cum corporibus suis.

Et redditori sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in uitam aeternam, qui  
 uerò mala in ignem aeternum.

Haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideli-  
 ter crediderit, saluus esse non poterit.

ELEMENTA CHRIST.  
PRECES QUOTIDIANAE.

Mane.

Gen. 1.  
Psal. 104.  
Rom. 8.  
Philip. 2.  
Ioan. 1.  
1. Cor. 10.  
Matth. 5.

Deus optime & aeternae, qui potentia quidem  
tua solem ac lunam condidisti ad dici noctisq; dis-  
tinctionem, providentia uero tua constituisti ut  
homines noctu dulcem capiant quietem, interdum  
autem laborent: gratias tibi ago, qui me hac no-  
cte tam diu dormientem dum praesentis diei ini-  
tutio expergiscerer, incolumem seruaris. Faxit pro-  
inde tua bonitas, ut Sancti spiritus tui ductu, ani-  
mi mei cogitationes, dicta factaq; mea omnia in  
ijs rebus occupentur, quae cum luce, & filij tui Ie-  
su Christi, qui solus uera est lux omnem hominem  
prodeuntem in mundum illuminans, doctrina ac  
uoluntate congruunt: cunctis uero his quae à me  
fient, tua in primis illustretur gloria, homines  
deinde ad celebrandum tuum nomen, ad ueram  
pietatem atque uirtutem excitentur, per eundem  
Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.  
Amen.

Vesperis.

2. Thef. 5.

Domine Deus indulgentissime Pater pro be-  
neficijs tam internis quam externis quibus tum  
animum tum corpus meum hodie affecisti gratis  
clementiae tuae ago & habeo. Si qua in re officij,  
fidei aut charitatis declarandae ergo, praestiti,  
graz

gratum id tibi esse percipio, ut cuius unius spiri- Galat. 3.  
 tui ac gratiæ acceptum illud ferre debeam. Cate- Luc. 17.  
 rum quæ siue ignorantia, siue infirmitate, siue ui- Philip. 2.  
 tiositate mea atq; culpa sanctæ uoluntati tuæ re- Psalm. 25.  
 pugnantia admissi, ea supplex peto per filiū tuum Roman. 8.  
 Iesum Christum aduocatum redemptorem ac do- psalm. 51.  
 minum meum remitti: cum reuera si iusticiæ tuæ 1. Ioan. 2.  
 et meorum criminum, quorum nullum tibi late Galat. 3. 4.  
 re ualet, habere uolueris rationem, me in tuo con- Hebr. 4.  
 spectu nullo modo posse subsistere certò sciam. Psalm. 130.  
 Porro ut hac quoq; nocte pro solita bonitate tua Math. 6.  
 mei curâ suscipias, quin etiam provideas ne mens 1. Petr. 5.  
 mea in cogitationes uel opera tenebrarum, quæ Ioann. 3.  
 acerbè odisti ac mortem cuius imaginem in somno Rom. 13.  
 experimur asserunt, quouis pacto delabatur, sed Ephes. 5.  
 potius ad filium tuum Iesum Christum qui lux ue Ioann. 1.  
 ra est etiam in tenebris lucens uigilet ac suspiret Psalm. 63.  
 donec dies illucescat, demisso animo iterum atque  
 iterum oro, per eundem Dominum nostrum Ie-  
 sum Christum qui tecum uiuit et regnat in omne  
 æuum, Amen.

## Ad studia.

Tu sapientissimè Pater cælestis omnis scientiæ  
 ac sapientiæ fons es et origo, tu omnium homi- Prouer. 2.  
 num animis tui tuæq; uoluntatis instillas cognitio- Rom. 2.  
 nem, tu intelligentiam, iudiciij grauitatem, pruden-  
 tiam, rectum consilium, ceteraq; spiritus sancti

ELEMENTA CHRIST.

1. Cor. 12. *eximia dona, quibus & quemadmodum tibi placet*  
 Mat 11. 21 *conferes, sed & paruulorum immò infantium*  
 Psal 8. 119 *& lactentium mentes instituis & fingis ora, ut*  
 4. Cor. 1. *te laudibus efferant. Precor igitur ingenium meum,*  
 Luc 2. *cum ad disciplinam pietatis, tum ad quascunq; bo-*  
 1. Cor. 10. *nas artes docile efficias, ut ubi exemplo & auxi-*  
 Colofs. 3. *lio filij tui Iesu Christi in uera sapientia, & gratia*  
*& etate progressus coram te & hominibus ali-*  
*quos habuero, ad amplificandam propagandamq;*  
*nominis tui & eiusdem filij tui gloriam, & ad ho-*  
*minum commoda, omne meum deinceps referam*  
*studium & conatum, per eundem Christum Dñm*  
*nostrum, Amen.*

A studijs.

Proijs quæ uoluisti Deus pater coelestis à me in  
 elementis pietatis, atq; in præclaris artibus percipi  
 gratias tibi ago maximas, siquidem comper-  
 tui habeo, nisi pro insigni tua bonitate tu annue-  
 ris & concesseris, tam præceptores quam me om-  
 nem perdere operam. Perfice igitur ut hoc pro-  
 fectus mei certo indicio atque sensu, & docenti-  
 um animi excitentur ad maiorem in dies diligens-  
 tiam, & ego ad discendum accedam quotidie apti-  
 or alacriorq; unde porro occasio & causa dabitur  
 te pro amplissimis in me beneficijs perpetuo ce-  
 lebrandi ac prædicandi, qui cum filio tuo Iesu Christo  
 & Spiritu sancto semper uiuis & regnas, Amen.  
 Ad

Ad lectionem uel auditionem sacra-  
rum literarum.

Visum tibi est *ô Deus Pater cœlestis, omne tuû* 2. Tim. 3.  
 de salute nostra consilium certis uoluminibus scri-  
 ptis ad Ecclesiæ uniuersæ adeoq; singulorû homi-  
 num institutionē patefacere. Da igitur, ut Spiri-  
 tus sanctus qui Prophetarû & Apostolorû à quib. 2. Petr. 1.  
 libri illi sunt editi informauit mentes, idem meum 1 Cor. 2.  
 quoq; intellectum & sensus oēs excitet, purget, e- Col. 21.  
 ruiat: quo quæ cupidè in illis lego uel audio, rectè Rom. 10.  
 atq; simpliciter cum ceteris quos eligis paruulis Matt. 114  
 queam intelligere: ex ijs uerò quæ affecutus fuero Psalms, 119  
 prudenter excerpam quod ad doctrinā & redar. 2. Tim. 3.  
 gitionē, ad institutionē & correctionē, deniq; ad  
 consolationē prodest: hæc aut̄ simul oīa religiosè Matt 6.  
 semper conuertā, primùm ad sanctificandum tuû Philip. 3.  
 in terris nomen, deinde ad fidei meæ stabilitatē, ad 1. Thels. 5  
 testificationē obedientiæ, deniq; ad omnium hominum  
 quibuscum quotidie uersor ædificationē, per Dñm  
 nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum  
 uiuit & regnat cum eodem Spiritu sancto in o-  
 mne æuum, Amen.

Errata sic emendato.

Fol. 5. pagina b. linea 21. communiter elementa hæc per  
 tractentur. 12. a. 3. commonefaciat pueritiã b. 3. con-  
 tinentur. 17. b. 20. in quibus 22. b. 16. cætera que si-  
 milia 29 b. 16. ad hæc. 41. a. 16. obsequendo, non  
 condemnando, FINIS.



1807 658

95706174 N00